
BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
167
B
33
NAPOLI



JUS FEUDALE

NEAPOLITANUM, AC SICULUM.



MARINI GUARANI

IN UNIVERSITATE NEAPOLITANA

J U R I S C I V I L I S

PRIMARII PROFESSORIS

J U S F E U D A L E

NEAPOLITANUM, AC SICULUM.

T O M U S III.

Jus feudorum συναλλαττικον,
ac publicum exhibens.





N E A P O L I MDCCXCIV.

EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.

Cum publica venia.



Ου πας φαρμακοπωλης κροκον πωλει.



Viro · Incomparabili · Marchioni Ferdinando · Corradino · Divini · Humanique · Iuris · Scientia · Et · Usu In · Regno · Neapolitano · Prae · Reliquis · Praefulgenti · Apud · Optimum · In · Europa · Principum · In Rebus · Ecclesiasticis · Atque · In · Amplissimo · Sacrarum · Privatarumque Rerum · Consilio · Libellos · Agenti Eximio · Philosophiae · Ac · Musarum Severiorum · Alumno · Ingenii · Acumine · Morum · Suavitate · Fide · Integritate · Constantia · Felicissimo · Ferdinando · Ejusque · Augustae · Conjugi Acceptissimo · Marinus · Guaranus · Ipsius Amplitudini · Devotissimus · Obsequii Sui · Testificationem · In · Praesens Monumentum : Virtutis · Ejus : Ad Posteros

INDEX EORUM,

Quæ in tertio tomo continentur.

LIBER III.

VIII.

JUS

JUS FEUDALE
NEAPOLITANUM, AC SICULUM
LIBER III.
TITULUS I.
De prohibita feudorum alienatione ex jure feudali communi, ac Neapolitano.



Bi primum perpetuitas feudis acceſſit, exinde quidem heredibus ſunt ea delata, a primævo tamen inſtituto in aliis non receſſerunt. Ipſis igitur adhuc hæſit militare ſervitium, cum pro ratione temporum aliunde Principes militares copias expectare non poſſent. Ita ipſamet feudorum natura flagitabat, ne ea per barones alienari jus eſſet. Licet

enim cum militari servitio in alios feuda transferrentur, usu facile venire poterat, ut novi possessores imbelles forent, neque militiæ muniis sustinendis pares. Conf. Thomasii dissertationem *de caus. prohib. alienat. feud.* Enimvero ut in aliis juris articulis inter absentiam Principum feudalem jurisprudentiam corruperunt Transtiberini jurisconsulti, ita ejus quoque rei respectu cerebrosis suis interpretamentis ipsam ferme feudorum naturam cœptarunt evertere. Nam ante Lotharium II. eorum opera in Italia Transtiberina recepta sententia Curiarum erat, ut alibi dimidium, alibi vel solidum feudum alienari liceret. Ita pessimo publico ad bellum seu arcendum, seu inferendum militum copia non suppetebat. Proinde idem Lotharius valescentem illam feuda alienandi licentiam *perniciosissimam pestem Reipublicæ non mediocre damnum inferentem* appellat in con-

conſtitutione , quam collector exhibet *conſuet. feud.* 2. 52. Quapropter veterum legum obſervantia ibi revocata , feudorum alienationem ſeverius interdixit: ſi ſecus quid fieret , feudum ipſum alienatum , ejuſque pretium in commiſſum venire juſſit ; tabelliones vero , qui inſtrumentum de alienatione ſcripſiſſent, & infamia, & muneris amiſſione coercuit.

II. Enimvero non alias patuit , quam impune inter abſentiam Principum Tranſtiberinæ Curiæ ſaluberrimas Imperatorum leges everterent . Nam ſub ipſo Lothario , ejuſque ſucceſſore Conrado III. veluti ex compacto feudorum alienationes ſententiis ſuis ſtatim reſtituerunt . Proinde Fridericus Ænobarbus Conradi ſucceſſor , conſtitutione Lotharii ſeverius reſtituta , feudorum alienationes non ſolum in poſterum fieri vetuit , ſed & irritas haberi juſſit alienationes illas , quæ ante legem a ſe latam expeditæ forent,

ſcribæ, qui alienationis inſtrumentum ſcripſiſſet, dextera amputari juſſa. Extat ipſa Friderici conſtitutio *conſuet. feudal. libr.* 2. *tit.* 55. Feudum igitur ſine concedentis aſſenſu alienatum *ad dominum libere* reverti juſſit Fridericus *loc. cit.* Proinde ſi de feudis quidem in capite ſit controverſia, in cauſa commiſſi ea redibunt ad Principem. Nam ſi eam ob cauſam in commiſſum ſuffeuda venerint, ad ipſum baronem, qui ea conceſſerit, redire oportebit. Conf. Roſental. *c.* 9. *m.* 1. *concluſ.* 32.

III. Porro ut recte feudum alienatum dicatur, ex jure feudali communi ne domini quidem conſenſus ſufficere poteſt. Ea in re ſcilicet intereſſe placuit nova inter, & antiqua feuda. In feudis novis recte expedita cenſetur alienatio, ſi unius concedentis adſit aſſenſus. Verum in feudis antiquis ſine agnatorum aſſenſu alienatio fieri nequit *conſuet. feud.* 2. 26. 5.

Id

Id autem in feudis antiquis lex ipsa investiturae suasit, qua ab initio feuda non minus quaesitori, quam liberis concessa intelliguntur; ut proinde baronis factum praejudicium agnatis in investitura vocatis creare nequeat. Eo accedebat, quod ex barbararum Gentium institutis in res a communi parente profectas non solum liberis, sed & agnatis jus competere credebatur, nec sine eorum assensu alienari posse. Hinc in instrumentis donationum in monasteria collatarum formula illa frequentissima, *cum heredum nostrorum consensu, & beneplacito; consentiente filio, & aliis heredibus*. Conf. Schilter. *ad jus feudal. Alemann. c.* 64.

IV. In praesenti autem argumento alienationis vocabulum latius quidem accipitur, ut generatim alibi, ubi quarumdam rerum alienationem aut testatoris voluntas, aut lex ipsa prohibet. Proinde sine domini, atque agnatorum consensu

feuda non solum vendi, legari, donari, atque in solutum dari non possunt, sed dotis etiam titulo, aut permutationis caussa in alium transferri nequeunt *feud. consuet.* 2. 42. Hinc intelliges, cur collector edicat *consuet. feud.* 2. 9. baronem ne *pro anima* quidem de feudo *judicare* posse. De feudo enim pro anima judicare dicitur, qui illud Ecclesiæ donat, aut legat. In eam vero sententiam judicandi vocabulum haud infrequenter occurrit in monumentis sequioris ævi. Eo pertinet Caroli Magni illud *in Longobard.* 2. 18. 4. *Si quis Longobardus statum humanæ fragilitatis præcogitans pro salute animæ suæ de rebus suis voluerit judicare*. Indidem rationem reddes, cur neque per emphyteusim, neque per libellum, neque per censum in alterum transferre feudum baroni liceat, neque illud hypothecæ subjicere *consuet. feud.* 2. 55. Proinde & in generali hypotheca a baro-

rone promissa feuda non continentur, nisi ea quoque cum consensu domini hypothecæ subjecta fuerint *consuet. feud.* 2. 26. §. *in generali*. Cumque, alienationis vocabulo generatim accepto, servitus etiam intelligatur *l.7.ff. de reb. alien. non alien.* sine domini assensu ipse usufructus, aut alia servitus seu realis, seu personalis in feudum frustra constituetur *consuet. feud.* 2.. 8. *princ.* Sed, his omissis, enucleemus, quid jure Neapolitano de feudorum alienatione placuerit.

V. Ubi primum Nortmannorum opera in Regno Neapolitano increbuere feuda, nulla lex quidem scripta eorum alienationes interdicebat; ipsis tamen moribus interdictæ censebantur, cum ipsa feudorum natura suaderet, ea quoquo titulo per possessores abalienari non posse. Proinde cum Nortmannorum apud nos Principatus aristocratiæ specimen ab initio exhiberet, si quæ feudorum alienationes si-

ne assensu Principis in veteribus monumentis occurrant, eas jure summi imperii per veteres illos dynastas factas oportuit. Hinc intelliges tot eorum diplomata, quibus liberalitatem adversus Ecclesias ostentantes de feudis pro more sæculi *pro anima* judicabant. Enimvero ubi pacis interfuit, uni deferri omnia, ac primo per Ducem Robertum, mox plenius per Rogerium Regem Nortmannorum aristocratia fuit abolita, rebus tandem pacatis; scripta etiam lege feudorum alienationes prohiberi cœperunt. Ita idem Rogerius leges laturus, quibus pace, & Principe uterentur, ne quid usquam Respublica detrimenti caperet, feuda non solum per Regni barones, sed & per ipsos Principes se prognatos alienari vetuit. Lubet ob rei celebritatem ipsamet constitutionis Rogerianæ verba hic exhibere ex *libr.constit.3.tit.1.* Sic igitur ibi Princeps, qui jura Majestatis apprime

me tueri norat. *Scire volumus Principes nostros, comites, barones, archiepiscopos, universos episcopos, & abbates, quod quicumque de regalibus nostris magnum, vel parvum quid tenet, nullo modo, nullo ingenio possit ad nostra regalia pertinens alienare, donare, vel vendere in totum, vel in partem minuere, unde jura nostra regalia minuantur, aut subtrahantur, aut damnum aliquod patiantur.*

VI. Jam vero ad Fridericum II. delato rerum arbitrio, per ejus fortasse ætatem non defuerunt, qui avi sui Rogerii legem calumniarentur, eamque de sola feudorum donatione, aut venditione accipiendam contenderent. Proinde idem Fridericus Rogerii constitutionem secundum regulas consuetudinum feudalium interpretatus non solum quamcumque feudorum alienationem prohibuit, sed & generatim contractus omnes, quibus aut jura feudorum, aut res ipsæ feudales immi-

minuerentur, nisi assensu Principis expressim firmati forent *constit. constitutionem divæ memoriæ. de revocat. feudor.* Ibidem quoque, ne quid fieret in fisci fraudem, si qua de feudis controversia suscepta foret, litigantium compromisso finiri vetuit; de ea vero dictum arbitrium nullius momenti censeri jussit. Ibi baronibus id tantum concessum, ut *excadentias*, quas appellant, locare possent sub eodem tamen servitio, aut reditu, quibus, antequam baroni delatæ essent, concessæ forent. Ceterum præ Lothario, avoque suo Ænobarbo in lege sua baronibus humaniorem se præstitit Fridericus. Si qua enim feuda sine assensu Principis quoquo modo alienata forent, atque in eis contra constitutionem suam aliquid cœptatum esset, feuda fisco non statim committi voluit. Pœnitentiæ igitur loco relicto, contrahentibus licere jussit, ut a contractibus in fraudem legis initis resili-

silire possent. Sic enim ibi Fridericus. *Eisdemque contrahentibus, & alienantibus concedimus potestatem, jure proprio prædicta omnia revocare*. Regium autem assensum non solum in reliquis alienationibus, sed & in feudorum adjudicatione a magistratibus fieri solita adhiberi placuit. Id ita cautum, ut persona non ignoraretur, ad quam feudum rediisset *pragm.* 23. *de feud.*

VII. Illud in disceptationem venire queat, num aut dotis nomine feudum dari, promitti possit, aut saltem dotis præstandæ, restituendæ causa obligari. Quod ad primum, cum pro dote datio pura puta sit alienatio, jure quidem feudali communi, licet ex lege investituræ feudum ad ipsam fœminam fortasse pertineat, dotis nomine dari, promitti nequit *consuet. feudal.* 2. 9. §. 1. Conf. Camerar. *ad c. Imperialem fol.* 83. In ea re tamen ab jure feudali communi

Gvi-

Gvilelmus I. receſſit. Is enim edixit, ut, ſi in hereditate patris deeſſent allodia, ac fratres tria, vel plura feuda poſſiderent, eorum unum dotis cauſa dare ſorori poſſent, modo matrimonii venia ſpeciatim a Principe conceſſa foret *conſtit. fratribus. de fratr. oblig. part. feud.* Id ipſum tamen in fiſci damnum facile redire poterat. Proinde a Carolo II. ſine aſſenſu Principis id fieri vetitum. Si quid ſecus cœptatum eſſet, feudum dotis nomine ſorori datum fiſco committi juſſit *cap. item ſtatuimus, quod licitum*. Inde autem inferre licet, ne hodie quidem apud nos ſine Regis aſſenſu dotis nomine in viros feuda transferri poſſe, ut recte ſtatuit Camerarius *loc. cit. lit. I.* Id ipſum autem obtinere debet, licet ad ipſam fœminam feudum pertineat. Proinde, ſi, quod quidam admittunt, dotis nomine feudum inæſtimatum viro tradatur a fœmina, nullum in feudum ipſum


jus

jus in virum transfertur; in eum transit jus tantum percipiendi fructus, quamdiu constiterit matrimonium; fructus autem potius uxoris nomine, quam jure suo vir percipiet, eaque facultate excidet statim ab uxoris obitu. Conf. de Marin. ad *decis. Reverter.* 45. *n.* 8. *& sequ.* Quod ad alterum, in allodiorum defectu dotis causa ipsa feuda obligari concessit Gvilelmus II. *d. constit. fratribus*.

VIII. Ita quidem apud nos olim. Enimvero novissimis Regni legibus respectu dotium baronum facultas latius fuit extensa: in feudis enim pro dote obligandis assensus ab ipsa lege conceditur. Nam ad preces Urbis cautum per Ferdinandum Catholicum anno 1505. ut seu peregrinæ mulieres cum civibus Neapolitanis collocarentur in matrimonium, seu Neapolitanæ mulieres peregrinis enuberent, feudis pro dote obligatis, statim a dotalibus instrumentis, licet impetratus

non

non esset assensus, eis dotis nomine feudalis hypotheca competeret *pragm. 3. de feud.* Hoc autem taciti assensus privilegium ad *antefati* quoque, quod ajunt, præstationem Carolus V. extendi jussit *pragmat.* 8. *eod.* Quatenus tamen hypotheca isthæc mulieribus, eorumque heredibus prodesse possit, & an fisco detrimentum afferre queat, mox liquebit insequenti titulo.



TITULUS II.

De assensu ob feudorum hypothecam præstari solito.

SUpra ostendimus, non minus ipsa feudorum natura, quam Lotharii II. & Friderici Ænobarbi constitutione inspecta, feuda alienari non posse; alienationis vero vocabulo hypothecam etiam conti-

tineri. Hypotheca scilicet jus in rem ipsam creditori parit, eaque constituta, serius ocius res eo redit, ut aut distrahatur, aut adjudicetur: ita igitur contra investituræ legem, ac directi domini voluntatem in alienas familias feuda transferri possent. Ea ferme de causa cum jure feudali communi, cum patrio cautum, ne sine consensu directi domini jus esset feuda hypothecæ subjici. Inde fit, ut, licet alias in conventionibus, generali hypotheca inita, omnia debitoris bona obligata censeri debeant, eadem tamen a barone promissa, si Principis desit assensus, feuda hypotheca non afficiantur. Conf.Fleischer. *instit. feud.* c.18. §.13.

II. Jam vero si sine consensu directi domini feudum fuerit hypothecæ suppositum, jure quidem feudali communi id fisco committitur *consuet. feud.* 2. 55. Jure autem Neapolitano neque feudum hypotheca afficit, & a contractu recede-

re

re impune licet *constit. constitutionem divæ memoriæ. de revocat. feud.* Illud tamen disceptatum video, num, si de suffeudis obligandis agatur, unius immediati domini consensus sufficiat, an & consensus mediati domini requiratur, a quo feudum ipsum in capite fuerit acceptum. Ea de re ex jure feudali communi facile decerni potest. Nam ex constitutione Lotharii, immediati domini intercedente consensu, suffeudorum alienatio non prohibetur *consuet. feud.* 2. 52. Exinde tamen & alia controversia enasci queat, utrum scilicet in defectu feudalis heredis ad Principem redeunte feudo, ad eum id redeat cum hypothecæ onere in suffeudum promissæ. Ea sane in specie deterior respectu feudi fisco conditio inferri non potest. Proinde ipse quidem immediatus dominus & ratam habere hypothecam debet suo assensu initam, &, ad eum suffeudo redeunte, cum onere hypo-

pothecæ redit. Si tamen feudum ipsum Principi deferatur, creditor ejus hypothecæ nomine non potest in fiscum agere. Interest igitur creditoris, ut in suffeudis obligandis non minus immediati domini, quam Principis etiam consensus obtineatur. Atque hic discrimen inter hypothecam, & alienationem per subinfeudationem fieri solitam juvabit advertere. Hypothecam enim, ut vidimus, in suffeudum sine Principis assensu contractam fiscus agnoscere non adigitur. Contra alienationem per subinfeudationem initam, quæ apud Neapolitanos, ac Siculos baroni permittitur in feuda, quæ *plana, & de tabula* dici solent, ratam fiscus habere debet, licet subinfeudatio sine assensu Principis facta ponatur. Id ipsum tamen ultra feuda, quæ plana & de tabula appellari diximus, extendi non debet. Vide *d. constit. constitutionem divæ memoriæ*, & quæ monuimus *libr.*

1. *tit.* 4. §. 4. *& sequ.*

III. Ex dictis liquet, utilem tandem in feudum hypothecam evadere, ubi Principis assensu firmata fuerit. Inde autem facile decerni queat de celebris usus in foro controversia, uter creditor scilicet in ipso pretio feudi sub hasta venditi potior sit habendus, qui priorne feudum sibi obligari curarit, an qui prior quidem impetrarit assensum, sed, obligationis inspecto tempore, sit posterior. Haud inepte quis dixerit, pecuniam ex feudi venditione redactam a feudo diversam esse, & ad res potius burgensaticas pertinere; in ea igitur præferendum, qui primus licet sine assensu hypothecam sibi in feudum quæsierit. Enimvero inficias quidem haud iverim, pecuniam ex feudo redactam inter res burgensaticas referri oportere: id ipsum tamen ad præsentem speciem extendi non debet, in qua ponitur, jussu ma-

gi-

gistratus feudum fuisse distractum. Iniquum enim esset, ut magistratus opera durior cuiquam conditio inferatur. Cum igitur feudalis hypotheca consistere tandem incipiat, ubi per assensum confirmata fuerit; in præsenti etiam controversia feudi pretium ipsum veluti feudum repræsentet; qui assensum primus impetrarit, in ipso feudi pretio præferendum putem. Ea vero sententia ipsi Sacro Consilio se commendavit apud de Franch. *decis.* 75. *n.* 10.

IV. Porro veteri Neapolitano jure assensum ob feudalem hypothecam concedi solitum cum formula *pro heredibus ex corpore* concedi oportebat. Proinde si feudum hypothecæ suppositum de jure Francorum esset, ante latam pragmaticam 27. *de feud.* ex creditoris liberis tantum filius natu major hypothecaria in feudum actione agere posse credebatur de Franch. *decis.* 41.

n. 1. Hinc & hodie si feudum de jure Francorum cum pacto redimendi sit venditum , in eo redimendo ex pluribus venditoris liberis filius etiam natu major præferri debet. Actio enim ob feudum eodem jure cum feudo censetur , ut recte monuit idem præses de Franch. *decis.* 75. *n.* 4. Id cum regulis consuetudinum feudalium consonare videtur, & tota aberrat via Schraderus *tractat. feud. p.* 7. *c.* 3. edicens , actionem hypothecariam in feudum constitutam jure allodii censendam esse, & in heredem quemlibet transferri posse. Utcumque ea de re jure communi sit cautum, apud nos ob prædictam in assensu formulam, si creditoris heres extra gradum successionis feudalis esset, adversus baronem , qui cum assensu feudum obligasset, hypothecariam instituere non poterat. Id ipsum tamen & nullum commodum fisco afferebat, & contra-

tractibus erat impedimento. Vix enim invenire erat, qui pecuniam baroni crederent, quam petere non possent heredes, qui intra gradus successionis feudalis non essent. Proinde Neapolitana Civitas Philippum II. precibus interpellavit, ut ab assensibus ob hypothecam in feuda præstari solitis tolleretur clausula illa *pro heredibus ex corpore*; actionis autem in feuda experiundæ causa agere possent heredes omnes, licet in gradu feudali non forent. Precibus autem Princeps indulsit, hanc tamen beneficio suo legem dixit. *Placet Catholicæ Majestati concedere dicto Regno, quod per ipsum supplicatur, dum tamen in hoc minime comprehendantur feuda devoluta, vel devolvenda ad Regiam Curiam, vel possessa a feudatario non habente successorem in feudo, pro quibus Curia nostra de evictione teneatur, minimeque ex quorum hypotheca, & alie-*

natione aliquod detrimentum hac de causa Regiæ Curiæ generari possit : his enim in casibus vult sua Regia Majestas interpretari, & declarari, assensum fuisse expeditum in antiqua forma reducente, & declarante pro heredibus ex corpore, non obstante clausula in assensu apposita, pro heredibus quibuscumque. Hodie igitur successoribus quibuscumque, seu universali, seu singulari titulo ii successerint, ob hypothecam in feudum licet agere, modo ne actio in fisci detrimentum cedat *d. pragmat.* 27. *de feud.*

V. Rursus veteri Neapolitano jure in feudis hypothecæ subjiciendis ordinaria erat in assensus præstatione clausula *in defectum bonorum allodialium*. Formula isthæc eo pertinebat, ut creditoribus ob hypothecam in feudum agere jus non esset, nisi prius bona allodialia excussa forent, atque inde solidum præstari

non

non posset *pragm.*4. *de feud.* Id ipsum tamen contractibus erat impedimento, & rarissimi quique inveniebantur, qui sub ea lege pecuniam baroni crederent. Proinde Carolus V. precibus a Neapolitanis aditus generatim indulsit, ut porro ea clausula assensibus non apponeretur *pragm.* 7. *de feud.* Hodie igitur si cum Principis assensu hypothecæ fuerint feuda supposita, integrum creditori erit, statim ab initio hypothecariam actionem in feudum instituere, neque ad excussionem allodiorum devenire cogitur, modo nullum inde detrimentum in fiscum sit rediturum.

VI. Ex dictis liquet, in patrii juris ignorantia versari eos, qui in obligationibus cum Principis assensu contractis subsidiariam tantum actionem in feudum admittunt, neque ad eam deveniendum putant, nisi prius baronis allodia fuerint excussa. Ex quo enim

Carolus V. clausulam in assensibus illam adhiberi vetuit *in defectum bonorum allodialium*, liberum creditori fuit, feudis, & allodiis obligatis, seu in feuda, seu in allodia hypothecariam instituere. Id autem non minus cum jure Neapolitano novissimo, quam cum Romano convenit. Nam, ut scribit Modestinus *in l.* 8. *ff. de distract. pign. & hypoth. creditoris arbitrio permittitur, ex pignoribus sibi obligatis, quibus velit distractis, ad suum commodum pervenire*. Ita vero in ipso Collaterali Consilio judicatum docet Franciscus Reverterius *in decis.* 459. Neque regeras, fisci utilitatem exposcere, ut in feuda potius in subsidium creditores agant. Præsens enim controversia intra speciem coerceri debet, in qua nullum fisci detrimentum versatur. In ea vero positione fisci potius interest, ab initio hypothecariam in feudum instituere. Vendito

dito enim feudo, hypotheca resolvitur; in persona igitur emptoris hypothecæ onere feudo liberato, fisci melior fit conditio. Quid quod aliquando æquitas ipsa suadet, ut creditor in feudum ipsum omnino actionem instituat? Si enim in creditorum concursu quidam tantum in allodia sibi actionem quæsierint, quidam & allodia, & feuda cum assensu sibi obligari curarint, hos æquus judex compellet in feudum potius hypothecariam experiri. Si enim in allodia eis permittatur agere, facile res eo redit, ut, quibus tantum allodia obligata fuerint, pecuniam suam amittant: eam vero veluti receptam in foro sententiam ætate sua fuisse testatur de Marin. *resolut. libr.* 2. *c.* 16. *n.* 15. Ceterum ob singularem affectionem in feuda lubens ego concesserim, ubi creditoribus per allodialium distractionem possit sine ipsorum incommodo satisfieri, ad feudorum

venditionem deveniri non oportere, ut recte ibidem monuit de Marin. *n.* 17. Id ipsum in Regia Camera in ipsa dotis causa judicatum tradit idem Reverterius *decis.* 579.

VII. His ita præstitutis, nodus hic occurrit interprete dignus. Finge enim feudum obligatum cum assensu seu *hominis*, seu quem *legis* appellant, ob defectum feudalis heredis ad fiscum redire, ea in specie disceptari queat, an in allodiorum defectu subsidiaria actio in fiscum ipsum possit institui. In proposita autem controversia magis se mihi adprobat eorum sententia, qui ne subsidiaria quidem actione fiscum conveniri posse censuerunt. Eo me trahit & præsumpta Principis in assensu concedendo voluntas, & ipsa feudalis instituti ratio. Nimirum assensus a Principe præstari solitus legis tantum impedimentum tollit, quo utile feudi domi-

minium quoquo modo baronibus alienare non licet : præsumi tamen haud potest, per eam veniam Principem dominio suo directo præjudicium creatum velle, si ad eum feudum redierit. Assensus enim est stricti juris, eoque directum ipsum feudi dominium obligatum videri nequit, nisi expressim a Principe concessum id fuerit. Ut id fiat, alterius legis venia impetrari debet, qua in feudo constituendo tacite placuit, ut in casu regressus ad fiscum, prout concessum ab initio fuerat, oneris cujuscumque expers Principi deferretur. Ut autem lex ea quoque remissa intelligatur, in assensu pro hypotheca concedendo Princeps expressim etiam indulgere debet, ut rediens ad fiscum feudum ad eum cum hypothecæ onere revertatur. Eo accedit, quod in assensu impertiendo Princeps promissoris jure censeri debet; in dubio autem secun-

dum

dum promiſsorem interpretationem jus fieri jubet *l. 99. ff. de verbor. obligat.* Vid. Thom. Carleval. *diſput. jur. libr. 1. tit. 3. diſput. 23. n. 54.*

VIII. Jam vero, quod ad patrias Regni leges, ipſa in aſſenſu impertiendo formula adhiberi ſolita in propoſitam ſententiam decretoria videri queat, *juribus* ſcilicet *Regiæ Curiæ ſemper ſalvis*. Niſi quis enim cavillari velit, verba iſthæc id potiſſimum ſpectant, ut ob conceſsum aſſenſum nihil fiſcus detrimenti capiat, ſi quando feudum ad eum ſit rediturum. Sed & ea in re palmarium pro fiſco eſt, quod edicit Philippus II. in privilegio per Neapolitanos petito *in pragmat.* 24. *de feud.* Ibi ſcilicet a Principe Neapolitani petunt, ut legis aſſenſus ob dotis ſecuritatem conceſſus intelligatur conceſſus omnibus, quibus dotem reſtitui oporteret. Id quidem Princeps ipſis indulget, privilegio ta-

tamen hunc modum imponit. *Placet Regiæ, & Catholicæ Majestati citra tamen præjudicium Regiæ Curiæ, quandocumque, & quomodocumque dicta feuda ei devolventur*. Si quid video, ibi in ipsa dotis causa, quæ maxime favorabilis est, subsidiaria in fiscum actio denegatur, ubi feudum obligatum ad eum redierit. Generatim igitur, hypothecæ supposito cum assensu feudo, ne in subsidium quidem hypothecaria adversus fiscum actio videtur accommodanda. Hæc ferme perpendens Philippus IV. literis suis Proregem apud nos agentem monuit, ut, prædictis rationibus accurate perpendi jussis, fisci indemnitati consulendum curaret, ubi feuda hypothecæ supposita ad eum reverterentur. Memoratas literas exhibet Thomas Carlevalius *disput. jur. libr.* 1. *tit.* 3. *disput.* 23. *n.* 71. Eæ tamen fisco non profuerunt, ac recepta ferme est hodie

in

in foro ſententia, ad fiſcum reverſo feudo, adverſus eum ſaltem in ſubſidium agi jus eſſe. Vide Reverter. *deciſ.* 579. & de Marin. *alleg.* 116. *n.* 19. Recte igitur hodie ob feudorum obligationem vix aſſenſum Princeps indulget: ſi vero præſtet aſſenſum, cautio in eo apponi ſolet, ne *in caſu devolutionis* aliquid fiſcus detrimenti capiat, ut rerum periti norunt. Si tamen factum id fuerit, contractus, ob quem conceſſus fuerit aſſenſus, intra tres menſes abſolvi debet; ſi ſecus fiat, res eo redit, quaſi conceſſus videri non debeat. Id ita placuit, ne ob mutata rerum adjuncta aſſenſus in fiſci detrimentum cedat *pragm.* 10. *de feud.*



TITULUS III.

De feudi alienati revocatione.

SUpra monuimus, feudum alienari non posse; si vero sine consensu domini fuerit alienatum, in commissi caussam venire: suo quoque loco docuimus, per consuetudines feudales jure veluti fiduciario feudum possideri, eoque non tantum primum quæsitorem investitum intelligi, sed & generatim omnes eo prognatos. Proinde in antiquis feudis alienandis non tantum domini, sed & agnatorum consensus impetretur, oportet. Si secus fiat, dominus ob illatam injuriam feudum vindicare potest: id ipsum & agnatis licet ob interceptam ipsis successionem per injustam alienationem. Ea vindicatio in jure feudali *feudi revocatio* dicitur. Hinc duplex feu-

di

di revocatio, prout eam instituit vel dominus, in cujus contemptum feudum alienatum fuerit, vel agnatus proximus, in cujus potissimum detrimentum alienatio cedit. Ratio igitur instituti flagitat, ut paucis enarremus, quid seu per jus feudale commune, seu per patrias Regni leges de utraque revocatione sit cautum.

II. Primo igitur, cum sine domini venia feudum vassallus alienans eum contemnere videatur, sine ipsius assensu alienato feudo, id per dominum revocari potest *consuet. feud.* 2. 24. §. *ult.* Cum tamen in pœnalibus latiorem fieri interpretationem haud oporteat, ac feudi revocatio pœnæ rationem habeat; alienationis vocabulo non nudus contractus hic intelligitur, sed quem & traditio cum animo transferendi dominii sequuta fuerit. Alienatum enim proprie dici nequit, quod adhuc in dominio venditoris

toris manet *l.67. ff. de verbor. signif.* Proinde & constituta sine assensu hypotheca, feudum a domino revocari non potest, nisi per antichresin saltem id traditum creditori fuerit. Hinc cum feudum plura plerumque prædia complectatur, eorum aliquo tantum alienato sine consensu domini, id tantum in commissum venit. Indidem si ejusdem feudi plures sint domini, & unius tantum assensus in alienatione defuerit, pro ejus tantum rata feudum committetur *consuet. feud.* 2. 28. At vero ob illicitam alienationem commisso feudo, cum feudum ipsum, cum pretium ad dominum redire debet *consuet. feud.*2. 52. Tantum bonæ fidei emptori concedi placuit, ut evictionis nomine adversus venditorem experiri posset. Ea igitur in specie non tantum pretium consequetur, sed & quatenus sua interest, sibi pro allodio obtrusum non fuisse feudum *consue-*

tud. feud. 2. 26. §. *si vassallus feudum.*

III. At vero alienatione sine domini consensu inita, feudum novum inter, & antiquum interest. Nam, ob illicitam alienationem novo quidem feudo revocato, id liberum redit ad dominum, ac de eo pro arbitrio statuere potest, licet liberi alienanti superstites sint futuri. Nam primi quæsitoris culpa omnibus nocet, qui ab eo causam habere quandocumque possint. Enimvero in feudo antiquo aliud obtinere placuit. Nam id quoque ob illicitam alienationem domino defertur: verum in feudis id genus vassalli culpa agnatis obesse nequit. Igitur post alienantis obitum ab agnatis feudum vindicari poterit *consuet. feud.* 2. 24. Cum vero delicti pœna per pœnitentiam non remittatur, atque, ut ostendimus supra, statim post traditionem feudum deferatur domino; in-

inſpecto jure feudali communi, denegatum baroni videtur, ut alienationem revocare poſſit; ita vero commiſſi pœnam effugere, ſaltem ſi poſt traditionem intercesserit non modici temporis intervallum. Verum ea in re apud Neapolitanos, ac Siculos benigniorem baronibus ſe præſtitit Fridericus II. Is enim feudum illicite alienatum ſtatim a traditione in cauſam commiſſi venire vetuit. Loco enim pœnitentiæ patere juſſo, contrahentibus ipſis indulſit, ut & reſcindere contractum poſſent, eiſque liceret acta, tranſacta omnia revocare *conſtit. conſtitutionem divæ memoriæ. de revocat. feudor.* Eo autem jure hodieque in Regno Neapolitano utimur nullo diſcrimine, ſeu de venditore, ſeu de emptore ſit controverſia.

IV. Prædicta autem Friderici conſtitutio juri feudali communi non omnino obrogavit, neque fiſco facultatem

ademit, quominus feudum illicite alienatum vindicare posset. Ibi tantum concessum contrahentibus, ut *jure proprio* rescindere contractum possent; ita vero pœnam, quam *caducitatis* appellant, effugere. Quamvis vero alterutrius contrahentis culpa assensus jam impetratus vitiosus evaserit, ille etiam, cujus culpa vis assensus fortasse corruit, & contractum rescindere, & revocationem instituere non prohibetur. Ita quidem si, assensu jam impetrato, intra legitimum tempus fidelitatis juramentum præstitum ab emptore non fuerit, ea quidem in specie ipsius emptoris culpa vitiatur assensus; is tamen & revocationem instituere potest. Vide de Marinis *resolut. libr.* 1. *c.* 23. *n.* 22. *& sequent.* Licet igitur in aliis juris articulis qui actum nullum reddidit culpa sua, eo vitio se tueri nequeat, atque æque adigatur ad omnia, ac si contractus vitiosus

ſus non evaſiſſet, id ipſum tamen contra emptorem revocationem inſtituentem allegari nequit. Poſita ſcilicet commiſſi pœna, quæ hodieque, aſſenſu reſoluto, evitari non poteſt, ne pretium amittat emptor, ei denegari non debet, quominus beneficio Fridericianæ conſtitutionis utatur, ac præoccupando fiſci petitionem pœnam effugiat, ubi in caſum res incidit, in quo aſſenſus pro non impetrato cenſeri debeat. Ita vero in propoſita ſpecie ipſum Sacrum Conſilium pronunciaſſe teſtatur Joſephus de Roſa *conſultat.* 15. *n.* 1. Nunc, quod ſupereſt, de revocatione, quæ agnatis competit, videamus.

V. Secundum conſuetudines feudales non tantum dominus ipſe ſine ſua venia feudum alienatum revocare poteſt, ſed, ſi id fuerit antiquum, agnati quoque ex primo quæſitore exorti feudum recte revocant, licet cum aſſenſu domi-

ni alienatum id fuerit. Enimvero quæ agnatis revocatio competit, vel ex succedendi jure promanat, atque ea, mortuo tandem alienante, potest institui; vel ex jure πρωτιμήσεως, seu prælationis oritur, eamque, vivo adhuc alienante, instituere licet. Ad rectam igitur juris intelligentiam de utraque revocatione pauca monebimus.

VI. Quod igitur ad revocationem, quæ ex successionis jure promanat, licet cum consensu domini alienatum sit feudum, agnatus proximus sine solutione pretii illud revocare potest *consuet. feud.* 2. 39. Feudi scilicet ex pacto, & providentia, quod sane feudorum genus in jure communi proponitur, facta censetur investitura non primo quæsitori tantum, sed & omnibus eo prognatis. Feuda igitur id genus jure fiduciario possidentur, & in ea jus possessoris cum fato mortalitatis extinguitur. Proinde si

per

per poſſeſſorem alienata fuerint, agnati, quos dominus in conceſſione reſpexerit, pretio non reſtituto, ea vindicare poterunt, modo alienantis hereditate ſe abſtinuerint. Cum vero ob ipſum inveſtituræ pactum poſt alienantis obitum agnato proximo feudi ſucceſſio deferatur, neque alteri per alterum iniquiorem inferri conditionem oporteat, non ſolum alienationem ipſam agnatus proximus recte reſcindit, ſed & ſi quid oneris per defunctum feudo fuerit impoſitum, id ratum habere non cogitur. Proinde, feudo revocato, & ſervitutes, & hypothecæ corruunt, licet cum aſſenſu Principis id fuerit hypothecæ ſuppoſitum *conſuet. feud.* 1. 5. *&* 2. 8. Aliunde, ut recte Camerarius monet ad *c. Imperialem p.* 110. in favorem cujuſpiam alienatione prohibita, hypotheca etiam interdicta cenſetur. Cum vero, reſoluto jure dantis, accipientis quo-

que jus perimatur, ipsam locationem a defuncto initam agnatus ratam habere non debet. Inde igitur argumento desumpto recte Regia Camera nuper pronunciavit, feudo ob heredis feudalis defectum ad Principem redeunte, locationem rescindi oportere.

VII. At vero quod diximus, successionis jure per proximos agnatos feudum antiquum revocari posse, ea quidem facultate ii uti possunt secundum proximitatis ordinem. Nimirum agnatis jus revocandi competit ob ipsam investituræ legem, & ex providentia concedentis. Atqui voluntate concedentis inspecta, feudum ad omnes simul agnatos pertinere non potest, ac tandem post possessoris obitum ad gradu proximum redire debet. Id aperte edicitur *consuet. feud.* 2. 26. §. *Titius filios*. Cum eo etiam loco consonat Papinianus ipse *in l.* 69. §. 3. *ff. de legat.* 2. Sed in re ce-

le-

leberrima ipsa jurisconsulti verba lubet excribere. Ita igitur ibi Papinianus in specie haud absimili. *Fratre herede instituto, petiit, ne domus alienaretur, sed ut in familia relinqueretur; si non paruerit heres voluntati, sed domum alienaverit, omnes fideicommissum petent, qui in familia fuerunt. Quid ergo, si non sint ejusdem gradus? Ita res temperari debet, ut proximus quisque primo loco videatur invitatus: nec tamen ideo sequentium causa propter superiores in posterum lædi debet.* Quapropter agnatus gradu remotior revocationem instituere nequit, si alius gradu proximior aut consensum alienationi præstiterit, aut de jure suo experiri nolit: eo tandem mortuo, agnatus gradu remotior revocationem cœptare poterit *d.* §. *Titius filios*, & *d. l.69.* §. 1. *ff. de legat.* 2. Id inde manat, quod agnato remotiori non defertur jus succedendi, nisi post al-

alterius obitum, qui eum ordine præcedebat. Conf. Hartmann. Piſtor. *libr.* 2. *quæſt.*6. *n.* 59. *& ſequ.* Sed iſthæc rectæ juris communis intelligentiæ tantum inſervire queant. Nam in Regno quidem Neapolitano revocationi feudorum, quæ manat ex ſuccedendi jure, jamdiu recepti mores obrogaverunt. An autem in Sicilia ea facultas in *capit. volentes* agnatis adempta fuerit, ſententiam dixi meam *libr.* 2. *tit.* 4. §. 12. *& ſequ.* Quod igitur magis refert, de facultate revocandi, quæ agnatis competit prælationis jure, pauca monebimus.

VIII. Præter revocationem, quam ex jure ſuccedendi manare diximus, eam etiam agnati inſtituere poſſunt, quæ ex jure πρωτιμήσεως, ſeu prælationis oritur. Id ita placuit, quia qua ætate feudales conſuetudines valeſcebant, in plurimis rerum articulis retractus legitimus paſ-

ſim

ſim per Europam jam inoleverat. Conf. *jus Regn. libr.* 4. *tit.* 2. §. 4. Non mirum igitur, ſi in agnatorum favorem id quoque juris in feudis invaluerit *conſuet. feud.* 2. 26. §. *Titius filios*. Quod tamen ad revocationem ex prælationis jure manantem, in diverſas ſententias abiere doctores. Complures Iſerniam ſequuti ad §. *Titius filios* exiſtimarunt, filiis quidem, alienante vivo, revocationis poſtulandæ jus eſſe, agnatos tamen niſi poſt alienantis obitum eam poſtulare non poſſe. Alii contra cenſuerunt, generatim agnatos ſine diſcrimine, vivo adhuc alienante, ad revocationem admitti oportere. Verum præſtat aſſerere, vivo adhuc alienante, agnatum proximiorem ad prælationem per conſuetudines feudales admitti. Id quidem explorati juris videri debet, neque ea de re dubitari patitur conſuetudinum feudalium collector *libr.* 2. *tit.* 3. §. 1.

& tit. 26. d. §. Titius filios.

IX. Sed & illud adhuc diſceptari poſſit, an, feudo agnato remotiori vendito, agnatus ipſe proximior uti poſſit prælationis jurę, ac, reſtituto pretio, feudum vindicare. Ea in ſpecie ſi quis ex jure civili argumentari velit, haud inepte dixerit, agnato proximiori prælationem denegandam eſſe. Aperte enim definit juriſconſultus *in l. 67. §. 2. ff. de legat.* 2. fundo extra familiam alienari vetito, agnato remotiori eo legato, per agnatum proximiorem ab eo fundum vindicari non poſſe. Verum in feudalibus controverſiis nec tuto, nec ſemper ab jure civili argumentari licet. Sane non conveniunt juris feudalis interpretes, an adverſus remotiorem agnatum eo nomine proximior poſſit agere. Diſſentientium doctorum cohortes ea in re late producit Hartmannus Piſtoris *libr.* 2. *quæſt.* 12. Verum, ſemoto partium ſtudio,

dio, affirmans ſententia, inſpecto jure feudali communi, præferenda videtur. Sane id aperte liquet ex *tit. 26. libr.* 2. §. *Titius filios*. Sic enim ibi collector. *Titius filios maſculos non habens partem ſuam feudi Sejo partem ejuſdem feudi poſſidenti agnato ſuo conceſſit. Sempronius proximior agnatus, mortuo demum Titio, partem illius feudi, nullo dato pretio, recuperare poteſt. Quod ſi Titius filios proprios haberet, pretio reddito, etiam vivo Titio*. Inde ſcilicet duo liquent, nimirum & alienato feudo, pretio reſtituto, filios ad revocationem admitti, & adverſus remotiorem agnatum prælationem proximiori non denegandam. Conf. Thomaſ. de Marin. *de feud. de pact. & provid. tit. 2. n.* 68. Ceterum niſi ea in ſpecie, ſoluto pretio, proximior ad revocationem admitteretur, privilegium agnati remotioris & eluſorium eſſet, & ei damnum af-

afferret. Nam post alienantis obitum jure successionis, ac sine pretio agnatus proximus feudum revocaret. At vero cum jus prælationis in consuetudinibus feudalibus agnato tantum proximiori asseratur, egregie fallitur Afflictus ad *consuet. feud. sub rubr. per quos fiat invest.* §. *sed & res n.* 4. Nam ibi is quidem edicit, ad prælationem in feudis secundum edictum successorium agnatos admitti; eam igitur, si proximior nolit, remotiorem postulare posse. Conf. Hartmann. Pistor. *libr.* 2. *quæst.* 12. *n.*64. *& sequ.* Inficias tamen haud iverim, Afflicti sententiam ob fori æquitatem se magis pragmaticis commendasse.

X. Quod autem ad tempus revocationi postulandæ præfinitum, interest, num successionis, an prælationis jure ea instituatur. Si successionis jure revocatio postuletur, ad tricennium usque postulari pot-

poterit. Primo enim actionibus in jure feudali concessis, nisi expressim aliud statuatur, tricennii tantum præscriptio opponi potest, ut passim doctores adnotant ad *consuet. feudal.* 2. *tit.* 26. §. 4. Deinde qui feudum jure successionis revocat, ejusdem juris cum eo censeri debet, qui hereditatem vindicat; vindicatio autem hereditatis ad tricennium usque potest institui, nec longi temporis præscriptione perimitur *l.* 8. *C. de jur. deliber.* Cum vero tempus adversus eum non currat, qui nequeat per leges agere; vivo autem alienante, eo nomine actio nondum agnato competat; tricennium revocationi jure successionis petendæ ab ipsius alienantis obitu computari debet. Conf. Struv. *syntagm. jur. feud. c.* 13. *aphor.* 18. Secus placuit, si revocatio jure prælationis petatur. Ea enim in specie tantum intra annum a die scientiæ licebit agere *consuet. feudal.*

dal. 2. 26. §. *Titius filios*. Licet autem memoria nostra retractum legitimum intra arctiores limites coerceri placuerit, cum tamen in lege ea de re lata feudorum mentio nusquam injecta fuerit, in eorum venditione intra annum a die scientiæ prælatio denegari non debet, si eam postulet, qui ex Regni legibus ad feudalem successionem admittitur.



TITULUS IV.

De universitatum proclamatione ad Regium demanium ex jure Neapolitano, ac Siculo.

DEmanium sequioris ævi vocabulum dominum significat; κατ' ἐξοχὴν tamen & in Friderici constitutionibus, & apud sequioris ævi scriptores

res ipſius Regis dominium deſignare ſolet. Ita quidem Alexander Abbas *in vit. Roger. Reg. Mandavit illis, qui caſtro ejus praeerant, ut & ipſi Regis quantocius ſuſcipiant demanium.* Sed in re maxime teſtata tempus non lubet abſumere. Univerſitates igitur ad Regium demanium proclamare dicuntur, ſi in venditione feudi prælationem petant; ita vero ab utili baronis dominio in Regis ipſius poteſtatem, nullo minori domino intermedio, transferri poſtulent. Nimirum nota quædam ſervitutis oppidanos ſequitur, qui baroni ſubſunt. Id jure, an injuria paſſim ſcriptitetur, in præſenti definire non lubet. Ea igitur de cauſa univerſitatibus invideri non oportebat, ut ſine baronis, ac Principis detrimento in Regis ipſius dominium, nulla intermedia poteſtate, migrarent. Eorum igitur exemplo, qui in ſervitute detenti proclamabant olim

ad libertatem, universitates etiam ad Regium demanium proclamare dicuntur, si in feudi venditione, veluti in libertatem se asserturæ, jure prælationis revocationem instituant, atque, alio domino non intermedio, in Principis ipsius dominium transferri petant.

II. Jam vero universitatibus ad Regium demanium facultatem proclamandi competere, non minus oppidanorum, quam ipsæ Principatus rationes suadent. Exploratum est scilicet, per feudorum concessiones publicis reditibus imminutis, & Principatus veluti nervos incidi, & ob intermediam illam potestatem a Principe longius recedendo feudorum incolas baronum potius, quam Principis jussa expectare insuescere. Constat etiam, non raro feudorum incolas ob jurisdictionem baronibus concedi solitam & eorum potentatu vexari, & injustis oneribus atteri. His ferme de causis utriusque

que Regni lege primordiali placuit, ut feudi titulo privatis concessa oppida ad Regium demanium proclamare possent. Ad eam autem facultatem universitatibus afferendam perperam trahi video Friderici constitutionem *dignum . de jur. suo Cur. observ.* In ea enim de eo universitatum jure nec vola, nec vestigium. Ibi tantum a Friderico cautum, ut feudorum detentores, qui intra præstitutum tempus legitimas concessiones non adprobarent, ea Principis demanio restituerent. Multo minus in eamdem sententiam argumentum desumi queat ex *constit. personas. eod.* Ibi enim id tantum Fridericus edixit, ne, qui barones viribus præcellebant, imbecilliores, qui minuscularia feuda a Principe impetrassent, ad jurandam sibi fidelitatem adigerent: quo quidem facinore cum Principatus periculo factiosi quidam vires suas augebant. Aliunde igitur ejus ju-

 ris

ris originem repetamus, oportet.

III. Ut eo autem perveniamus, illud in anteceſſum eſt advertendum, jus Regii demanii poſtulari poſſe vel per univerſitates, quæ ab utriuſque Regni primordiis in Regio demanio relictæ fuerint, vel per eas, quæ feudi titulo concedi ſolitæ prælationem in venditione petant ad Regis demanium rediturae. Alia eſt autem demanii poſtulandi ratio in locis in demanio Principis ab initio ſervari juſſis, alia in locis titulo feudi concedi ſolitis. Utrumque juris articulum paucis enarrabimus.

IV. Quod igitur ad univerſitates, quæ in utriuſque Regni primordiis in Principis ipſius demanio relictæ fuerunt, ipſa ratio Principatus ſuaſit, ut, ſi quando ob publicas neceſſitates feudi titulo e publico patrimonio decerperentur, in venditione prælatione petita, ad Regium demanium provocare poſſent. Ita enim

&

& ipsarum universitatum indemnitati consulebatur, neque per infaustam illam oppidorum avulsionem a Principe vis Principatus deterebatur. Licet enim universitate in venditione prælata, Principis reditus adhuc imminuantur, intereſt tamen Principatus, eos potius ab universitate percipi, quam cum incolarum inopia in baronem confluere. Eo accedit, quod majorem ab oppidanis fidem Princeps expectare possit, si ei, nulla intermedia potestate, subsint, quam si mancipia baronum evadant. Præterea, quod oppidani, si baronum opera non deglubantur, promptius Principi præstare possint auxilium. Hæc ferme perpendentes utriusque Regni primi conditores Nortmanni complura quidem oppida commilitonibus suis gratificati feudi titulo sunt elargiti, ad munimentum tamen Principatus oppida multa quoque in demanio suo retinuerunt. Ne qua vero

ex parte vis Principatus resolveretur, in utroque Regno primordiali lege caverunt, ne, quæ loca in communi ferme naufragio in demanio Principis servata forent, per infeudationem abalienari jus esset.

V. Facile autem evinci queat, lege sua primæva cavisse Nortmannos, ne in demanio Principis relicta oppida feudi nexu, mancipioque alienari jus esset. Eo primo me ducit, quod de Innocentio III. memoriæ proditur apud Carusium *biblioth. histor. Sicul. tom.* 2. *pag.* 648. Constat scilicet, Innocentium Friderici II. balium per ejus infantiam in Neapolis, & Siciliæ Regno legislatorem egisse. Is vero politicam utriusque Regni constitutionem restituturus cavisse narratur *loc. cit. ut demanium Regis nullatenus distraheretur, nec titulo quolibet obligaretur*. Id sane Innocentio non venisset in mentem, nisi

&

& complura oppida in demanio suo servassent Nortmanni, & sub ipsa novi Principatus auspicia eorum alienationem prohibuissent. Si secus statuas, novitatis invidiam Pontifex apud barones Neapolitanos, ac Siculos non potuisset effugere. Deinde eodem me trahit ipsum Friderici II. testamentum apud Muratorium *rer. Ital. tom.* 10. *pag.* 803. In eo scilicet Fridericus, Conradi baliatu Manfredo demandato, Regias eum vices ad absentiam illius usque exercere jubet, eique *castra*, *terras*, *ac villas* largiendi facultatem concedit; eo jure tamen ipsum uti vetat, si quid de Principis demanio elargiendum esset. Eodem pertinet, quod, jure summi imperii compluribus oppidis in eodem testamento Manfredo legatis, ea *de demanio in demanium*, *& de servitio in servitium* Fridericus perennare jubet. Id ita a Friderico cautum, quia ex Nortman-

nicis institutis, & utriusque Regni primæva lege oppida in Principis demanio posita abalienari non poterant. Hinc intelliges, cum Neapolitani ac Siculi juris ingenio convenire, neque quicquam iniquitatis complecti Alfonsi pragmaticam *post bella. pag.* 107. *edit. Panorm. ann.* 1791. Ibi enim veterem Regni Siculi politicam constitutionem is spectans edixit, ut, si quid in Principis demanio positum ob publicas necessitates distractum esset, pretio restituto, depositove per Principem, in illud statim fiscus redintegraretur. Indidem & facile evinces, Regii demanii alienatis oppidis, si revocationem Princeps instituere nolit, posse oppidanos ipsos, restituto pretio, ad Regium demanium proclamare. Nam neque regressus ad jus primævum interdici debet, neque præsumi in alienatione potest, eam facultatem Principem universitatibus ademisse.

VI.

VI. Porro sub Nortmannis quidem, ac Suevis, cum iisdem legibus Regnum Neapolitanum, ac Siculum regeretur, ut apud Siculos, ita apud Neapolitanos quoque certum, ac discretum Regis demanium fuit. Oppida igitur, quæ sub tutela Regii demanii relinqui placuit, utrobique feudi titulo in alios transferri non poterant. Verum post Vesperum Siculum Andegavensibus illum internecivum in Regno quidem Siciliensi minus a veteri politica constitutione descitum. Cum enim ipso rerum usu Siculi comperissent, cum Regio demanio publicis reditibus imminutis, ad tuendam imperii Majestatem novis oneribus populos atteri oportere, maxime adlaborarunt, ne in Regis demanio posita seu feudi titulo, seu quoquo alienationis genere e publico patrimonio discerperentur. Et apud ipsos tamen exempla non defuerunt, quibus ex discerpto demanio

pri-

privati homines ditescebant. Proinde sub ipsa Principatus Aragonensis initia primordialem illam apud Siculos legem restituit Rex Jacobus *capit. 9.* eoque quicquam ex Regio demanio concedi vetuit. Verum publicarum necessitatum obtentu adversus saluberrimam illam Jacobi legem privatis non semel Regii demanii concessa sunt oppida. Quapropter in conventu Syracusis habito anno 1398. id potissimum malum per Martinum Regem Siculi arceri curarunt. Ea de re igitur eorum precibus Martinus interpellatus in se recepit, Regio demanio oppida restitutum iri, quæ inde per Principum concessiones avulsa forent, eorum in posterum alienatione interdicta *cap. 1. Reg. Martin.* Ne qua vero primævæ Regni legi fraus fieret, oppida recenseri placuit, quæ ad Regis demanium pertinerent, ac diserte vetitum, ne quoquo titulo ea in posterum alie-

nati

nari jus esset *cap.* 2. *Reg. Martin.* Eo pertinet, quod scribit Fazellus *dec.* 2. *libr.* 9. *conventum postea Rex Syracusis habuit; decreto publico sancivit, quæ oppida Regis, quæ procerum essent.* Ibi scilicet ad tollendam juris incertitudinem declaratum, quæ oppida in Regio demanio tuenda forent, quæ feudi titulo proceribus concedi liceret. Neque tamen tam solemni decreto Regio demanio apud Siculos parta securitas. Nam post ipsum Martinum & oppida inde non pauca avulsa comperio. Proinde primævam illam Siciliæ legem iterato firmavit Alfonsus *capit.* 357. & 423. & Rex ipse Joannes *capit.* 19. Ab alienationibus tamen id genus ad felicissimum ferme Ferdinandum usque, ejusque Parentem optimum non omnino cessatum, neque alias patuit, non deesse in Civitate mala, quæ vetentur semper, & retineantur.

VII. Porro ob publicam caufam Regii demanii tantus eft favor, ut eo etiam præfcriptionis ope univerfitates pervenire poffint. Audi ea de re ipfum Iferniam ad *c. Imperialem*. §. *nec dominus feudi*. Sic enim is ibi infit, quamvis juris publici imperitiffimus pro more fæculi. *Demania in Regno Siciliæ dicunt antiqui noftri Civitates, caftra, & bona alia retenta per antiquos Reges in poteftate, & dominio fuo non donata, & conceffa aliis; &, fi fic fteterunt per triginta annos, fortiuntur hanc conditionem, ut fint de demanio*. Ibi autem Siciliæ vocabulo non minus Neapolitanum, quam Sicilienfe Regnum debet intelligi. Ceterum apud Siculos, cum oppida Regii demanii enumerata fuerint prædicto capitulo Martini Regis, facile hodie dignofci queat, quæ loca Regii demanii jure uti debeant, & quæ apud ipfos oppida ad Regium demanium pro-

proclamare possint, si adversus Siciliæ leges alienata fortasse fuerint. Quod tamen ad Regnum Neapolitanum, licet ab initio olim Regium demanium inibi certum etiam, ac discretum esset, ob frequentiores tamen in eo Principum mutationes omnia ferme oppida e Regio demanio sunt avulsa, ac feudi titulo alienata. Neglecta igitur ejus constitutione primæva, eo deventum, ut pauca tantum oppida seu ob Principum privilegia, seu ob pretium ab oppidanis solutum jure Regii demanii censeantur. Hinc inter pragmaticos enata quæstio, num, si quæ loca ad Regium demanium in Regno Neapolitano pertinent, ea possit jure ordinario Princeps baroni subjicere: jure ordinario inquam. Nam si in potestate Principis extraordinaria species effingatur, ex patronorum fisci decantato carmine *sacrilegium esset* ea de re dubitare. Controversia

ita

ita proposita, eorum sententia se mihi commendat, qui distinguendum existimant, utrum oneroso, an lucrativo titulo Regii demanii jure loca controversa potita fuerint; postrema autem saltem in specie posse jure ordinario Principem, si ita flagitet ratio Principatus, Regii demanii privilegium revocare. Conf. Card. de Luc. *tom.* 2. *de regal. disc.* 148. *n.* 8. *& sequ.* & de Marin. ad *decis. Reverter.* 409. *n.* 4. *& sequ.* Id autem admittendum putarim, licet ob civium merita jus Regii demanii Princeps ipsis indulserit. Princeps enim subditorum respectu ad beneficia rependenda, seu ad *antidora*, quæ Græci vocant, non obligatur, eique cives ipsa vi Principatus, & ob Civitatis commune fœdus, non spe præmiorum illecti operam suam navare debent. Conf. Afflict. *decis.* 307. *n.* 13. *& sequ.*

VIII. Ex dictis liquet, jus ad Regium

gium demanium proclamandi ex ipsa primæva constitutione politica promanare, si de oppidis sit controversia, quæ ab ipsis utriusque Regni primordiis sub tutela Regii demanii perennarunt. Si tamen de oppidis agatur, quæ sub ipsa Nortmannici Principatus primordia feudi titulo concedi sunt solita, & ea quidem, si forte vendantur, ad Regium demanium proclamare non prohibentur; verum, ut passim doctores adnotant, non ob politicam constitutionem, sed ob favorem potius libertatis ipsis id juris concessum videri debet. Nimirum id in controversiam venire queat, vel si ab ipso barone vendantur oppida, vel si distrahantur a Principe, ubi forte ad fiscum ea redierint. Utraque in specie venditores parum a parentibus absunt, qui filios ob egestatem distrahunt. Atqui expressim in jure civili cavetur, ut, ea de causa vendito a parente filio, oblato

em-

emptori pretio, filius proclamare possit ad libertatem *l. 2. C. de patrib. qui fil. suos distrax.* Ejus autem legis argumento facile inferri queat, ad prælationem Regii demanii causa postulandam neque comitiorum solemnitatem, neque totius universitatis consensum requiri; vel unum igitur ex civibus ad Regium demanium proclamare posse. Lubet in re celeberrima ipsa ex prædicta lege Constantini verba producere. *Liceat autem ipsi, qui vendidit, vel qui alienatus est, vel cuilibet alii ad ingenuitatem eum propriam repetere.* Ibi autem ingenuitatis vocabulo ipsam libertatem significari, nemo non videt.

IX. Quod autem ad tempus, intra quod universitatibus ad Regium demanium proclamare licet, interest, num Regii demanii oppidum, an feudi titulo concedi solitum alienetur. Priori quidem in specie cum per alienationem

ipsi

ipſi conſtitutioni politicæ aperta vis inferatur, perpetuo cives ad Regium demanium proclamare poſſunt; eis igitur agentibus nulla temporis præſcriptio obeſſe debet. Cum enim ea in ſpecie alienatio, tamquam adverſus jus publicum inita, ab initio non conſiſtat, neque tractu temporis convaleſcere poteſt, ejuſque reſciſſionem petentibus quæquæ præſcriptio fruſtra opponitur. Conf. de Marin. *ad Reverter. deciſ.* 22. *n.6.* Id ipſum admittendum putarim, ſi de oppidis ſit controverſia, quæ vel privilegio Principis, vel pecunia ſua ad Regii demanii dignitatem pervenerint, ſi ob publicas neceſſitates alienata fortaſſe fuerint. Neque enim ipſis opponi poteſt anni præſcriptio ex *pragm.* 63. *de offic. procurat. Cæſar.* Nam, ut infra liquebit, oppida tantum lex illa reſpicit, quæ feudi titulo concedi ſolita a Principe, vel barone alienata fuerint.

X. At vero quod ad oppida feudi titulo concedi solita, discors apud nos olim doctorum sententia fuit, intra quantum temporis ad Regii demanii petitionem ea admitti oporteret. Alii plus æquo baronum studiis indulgentes vix mensis spatium eam in rem universitatibus tribuendum censuerunt. Alii, argumento deducto ex prælatione agnatis in jure feudali concessa, intra annum a capta per emptorem possessione universitates ad Regium demanium proclamare posse pronunciarunt. Alii denique quadriennium ipsum ad prælationem petendam universitatibus asseruerunt. Conf. Rovit. ad *pragmat.* 4. *de feud. n.* 4. *& sequ.* Enimvero nemo tantisper in jure versatus non videt, primam illam sententiam nusquam præsidium invenire; alteram ab agnatis ad universitates perperam quidem inferre. Æquum igitur juris interpretem tertiam il-

illam ſententiam amplecti oportebat, ut vidit ipſe Præſes de Franch. *deciſ.* 17. *n.* 17. Nimirum vici, pagi, civitates, collegia minorum jure cenſentur *l.* 4. *C. quib. ex cauſ. major.* Atqui minores, ex quo minorem ætatem exceſſerint, intra quadriennium reſtitutionem in integrum poſtulare poſſunt *l.* 7. *C. de tempor. reſtit. in integr.* Recepta etiam ſententia fori eſt, quadriennium reſtitutioni petendæ præſtitutum in collegiis, & corporibus a die læſionis computari oportere. Res igitur flagitabat, ut ſaltem intra quadriennium a capta poſſeſſione ad Regium demanium universitates provocare poſſent. Verum non alias patuit, quam impune ſub imagine legum univerſitatum commoda poſſent intercipi. Nam in generalibus comitiis ann. 1588. baronum opera Joanni de Zunica ſacras vices apud Neapolitanos agenti perſuaſum, ad lites præ-

cidendas universitatibus expedire, ut tantum intra anni spatium ad Regium demanium postulandum admitterentur. Ita pragmatica sanctione cautum, ne post annum a die captæ possessionis Regium demanium peti jus esset; adversus anni lapsum ne restitutio quidem in integrum universitatibus accommodaretur *pragm. 63. de offic. procur. Cæsar.* At vero cum non oporteat, non cessantibus præscriptionem officere *l.16. C. de inoffic. testam.* cessare autem dici nequeat universitas, si post captam possessionem inter emptorem, & venditorem lis enascatur, quod ad contractus rescissionem; ea quidem in specie annus prælationi petendæ universitatibus præstitutus a die litis finitæ computari debet; in eam vero sententiam sæpissime judicatum, ut rerum periti norunt. Conf. Rovit. ad *d. pragm. n.* 12.

XI. Porro ut proclamatio ad Regium de-

demanium recte cœptata censeatur, accurate discutiendum, num pretium ipsum sine civium detrimento exolvi possit, eorumque re vera melior conditio fiat. Proinde in publicis comitiis universitatis ipsius voluntas exquiri debet, ubi, rebus accurate pensatis, de tam momentoso negotio suffragium quisque ferat. Hinc in ejusmodi petitione statim a baronibus solet opponi voluntatis in universitate defectus. Enimvero ad Regium demanium proclamatio ad liberalem causam videtur accedere. Quemadmodum igitur ob liberalem causam jus ipsos extraneos agere patitur *l. 6. ff. de liber. cauf.* ita & quisque universitatis civis Regium demanium postulare potest, si paratus sit pretium ipse persolvere; ejus vero reciperandi gratia neque civibus, neque universitatibus ipsis molestiam creet.

XII. At vero universitatibus quidem favendum, quæ ad Regium demanium

proclamando se veluti in libertatem asserunt; id ipsum tamen nullum fisco detrimentum afferre debet neque ratione adhoæ, neque relevii fisco persolvi soliti, neque regressus ad fiscum intuitu: eo enim, cum a natura feudi separari nequeat, Princeps defraudari non potest. Et quod ad adhoam quidem, nullum fisco periculum imminebat. Quod ad relevium quoque, solutio, quam *quindenniorum* appellant, a fisco damnum arcebat. Quod ad regressum tamen ad fiscum, maximum ei detrimentum inferebatur. Cum enim universitas in perpetuum vivere præsumatur, ea Regii demanii jus consequuta, feudum ad fiscum prorsus redire non poterat. Ne quid igitur eam ob rem Princeps detrimenti caperet, sub sæculi decimi sexti initia Regens Ferrarius per id temporis fisci patronus edicendum curavit, ut universitates, seu ad Regium demanium rediissent,

sent, seu in posterum rediturae forent, feuda certae familiae addicerent; in ea vero herede feudali deficiente, feudum fisco deferretur. Ita & universitatum commodis, & fisci indemnitati consultum. Conf. Rovit. ad *pragm. 63. de offic. procurat. Caesar. n. 29. & sequ.*

TITULUS V.

Quatenus de feudis Siculi statuere possint per contractus ex capit. volentes.

UBi feuda ad heredes etiam redire placuit, qui eorum ususfructus cum primo beneficiario extinguebatur olim, pessimo publico in eorum etiam liberis perennare coepit. Enimvero eo privilegio concesso per Principes, primaevam sui naturam feuda non exue-

runt. Proinde & eorum dominium penes Principem perrexit esse, & nudus ususfructus ad barones pertinuit. Præter politicas igitur rationes ea quoque causa fuit, cur sine assensu Principum feuda alienari non possent. Usufructus enim & personæ hæret, & invito proprietario in alium transferri non potest. Ita quamdiu sub Nortmannis, ac Suevis Neapolitanæ, Siculæque provinciæ iisdem Principibus paruerunt, utrobique feudorum alienatio vetita, nisi ea per Principem expressim concessa foret. Sed & ego dejerem, numquam sub Nortmannis, ac Suevis eam veniam fuisse concessam. Saltem ejus rei exemplum nullum produci video. Utcumque id fuerit; apud Neapolitanos quidem a primævo feudorum jure ea in re non recessum, neque apud eos hodie sine venia Principis feuda alienare licet. Quod ad Siciliam tamen, ubi, excus-

ſo Andegavenſium jugo, in Aragonenſes ceſſit, ut gratificeretur Siculis Fridericus Conſtantiæ Reginæ filius, Manfredi nepos, Friderici pronepos id etiam ipſis indulſit, ut ſine aſſenſu Principis quocumque alienationis titulo in alios feuda transferre poſſent *capit. volentes*.

II. Intereſt autem ex prædicta Friderici lege, num per venditionem, an alio alienationis titulo feudum in alium transferatur. Si enim per venditionem id fiat, prælatio fiſco competit, modo pretium ab extraneo oblatum venditori ſolvatur. Sin fiſcus præferri nolit, & pretii decima ei ab emptore perſolvi debet, & ad directum dominium agnoſcendum fidelitatis juramentum præſtari. Si non per venditionem, ſed alio titulo feudum abalienetur, fidelitatis tantum juramentum præſtari oportebit. Quod ſi feudi permutatio fiat, & ad ſer-

servandam æqualitatem pecunia etiam in permutatione intercedat, pro rata solutæ pecuniæ decima exolvi debet. Benigne tamen per mores obtinuit, ut intra annum a die venditionis pretii decima solveretur. Sed &, si intra semestre a venditione tempus solutio fiat, decimæ triens remitti solet. Quod autem ad feudorum alienationem, interesse placuit, utrius juris feudum esset. Nam feudum quidem de jure Francorum solidum Fridericus alienari jussit. Si vero feudum de jure Longobardorum esset, idque ob plurium heredum concursum in plures partes discerptum fortasse foret, pars ejus quotacumque ad quempiam pertineret, eam & solidam alienari voluit *d. cap. volentes*. Id ita ab eo cautum, ne quid fiscus detrimenti caperet, neu qua ex parte imminuta in casu devolutionis ad eum feuda redirent. Viderint igitur de Siculo

foro

foro rabulæ, an infinitam feudorum alienandorum licentiam ea lege conceſſerit Fridericus, eorumque regreſſum ad Principem omninó præciderit. Sed quoniam celeberrimi uſus apud Siculos argumentum aggreſſuri ſumus, juvabit penitius inveſtigare, quatenus a Friderico facultas ſtatuendi de feudis per contractus Siculis conceſſa fuerit, & an eo quoque reſpectu in Sicilia feuda *caudam*, quam Siculi dicunt, *ſerpentinam* habeant.

III. Ea in re igitur primum omnium ſatis conſtat, perperam inter pragmaticos Sicilienſes quoſdam baronum offis illectos exiſtimaſſe, infinitam feudorum alienandorum licentiam Siculis fuiſſe conceſſam *in capit. volentes*; ita vero in Sicilia feuda allodia evaſiſſe. Quem modum beneficii ſui eſſe juſſerit Fridericus Aragonenſis in eo privilegio Siculis concedendo, ex ipſis capituli verbis de-

definiamus, oportet. Quæ autem in eo fuerit Friderici ſententia, ex ipſis initialibus verbis facile intelligere licet. Ibi ſcilicet Fridericus Siculis de ſe merentiſſimis gratificaturus id potiſſimum agit, ut Friderici II. proavi ſui conſtitutionem corrigat, qua cautum ab eo fuerat, ne ſine aſſenſu Principis feuda quoquo modo alienare jus eſſet *conſtit. conſtitutionem divæ memoriæ. de revocat. feudor.* Nuſquam ibi in mentem Friderico venit, feuda in allodia convertendo, ac devolutionis ſpem præcidendo cauſam fiſci peſſumdare. Quam alienus ab ea monſtroſa feudorum converſione is fuerit, ipſamet capituli verba palam oſtendunt. Ibi enim & ſub initium, & ſub calcem privilegii ſui Fridericus edicit, ſe id Siculis indulgere *ſine ſuorum jurium læſione; ſervitiis, & integris juribus curiæ ſemper ſalvis.* Eæ ſane formulæ palam evincunt, feu-

feudorum alienandorum licentiam ita Siculis conceſſam intelligi, ne quid inde ad fiſcum detrimenti redeat. At vero ſi ponas, ab eo alienari feudum, qui ſerius ocius ſine feudali herede ſit deceſſerus, jus fiſci periclitabitur, ſpe regreſſus ei prærepta. Ut igitur & ratio legis, & ſecum ipſe Fridericus conſtet, neceſſario affirmari debet, neque infinitam feudorum alienandorum licentiam *benedicto* illo capitulo Siculis conceſſam eſſe, neque ea in allodia fuiſſe converſa. Quapropter ſi quis ſine feudali herede ſit deceſſurus, per eam Friderici legem feudum alienare non poteſt. Si ſecus ſtatuas, jus fiſci in diſcrimen adduxeris, quod expreſſim a Friderico vetitum.

IV. Ut autem in præſenti juris articulo nullus ſuperſit dubitandi locus, opportunum fuerit advertere, primævo quidem inſtituto feudorum inſpecto, cum

vix

vix in nudo usufructu consisterent, eorum per leges alienationem omnino fuisse vetitam; ob Principum tamen partim infirmitatem, partim ab Italia absentiam ea in re complures abusus invaluisse. Sane ex ipso jure communi feudali constat, quod ad feudorum alienationem, in Italia Transtiberina diversas curiarum fuisse sententias; alibi quidem, quæ consuetudo *optima* dicitur 2. *consuetud. feud.* 9. eorum alienationem omnino interdictam, alibi seu *ad proprium*, seu *ad libellum*, ut dici solebat, alienationem ad dimidium usque concessam *consuet. feudal.* 2. 28. alibi vel totum feudum alienandi facultatem sibi barones asseruisse. Ejus vero notæ Mediolanenses fuisse narrat collector *consuet. feudal.* 1. 13. Eam in Italia Transtiberina consuetudinem contra feudorum naturam increbrescentem frustra prohibuerunt constitutionibus quisque suis Lotha-

tharius, & Fridericus I. & recte dixeris, jure feudali communi non prohiberi barones ſine voluntate domini feuda alienare, ubi recepti mores id ſinant. Apud Neapolitanos, ac Siculos per Rogerii, ac Friderici II. conſtitutiones feuda alienari vetitum. Iis tamen in Sicilia Rex Fridericus antiquari juſſis, ibi intra juris communis feudalis regulas rem redegit *capit. volentes*. Quatenus igitur apud Siculos ſine aſſenſu Principis feuda alienare liceat, in re dubia ex jure feudali communi definiendum. Videamus igitur, quibus legibus feudorum alienationem per conſuetudines feudales concedi placuerit.

V. Jure communi feudorum, ut vidimus, alibi ad dimidium uſque, alibi ſolidum feudum ſine venia Principis alienare jus fuit. Eo tamen inſpecto, qui ſine liberis deceſſiſſet, feudum fruſtra alienaſſe credebatur; ita poſt ejus obi-

obitum feudum redibat ad dominum. Aperte rem loquitur collector *consuet. feudal.* 1. 13. Sic enim ibi. *Et si clientulus fecerit libellum, vel aliud de medietate feudi sine domini voluntate, eo mortuo sine legitimo herede masculo, revertitur feudum ad dominum.* Apertius idem edicitur in Joannis Ardizonis, & Jacobi Alvarotti fragmentis apud Cujacium *feud. libr.* 4. *c.* 73. Lubet in re celeberrima ipsum inde locum hic exhibere. *Qui investitus fuerit, non potest per proprium vendere, nec pro levissima re locare, nec infeudare, nisi majorem partem apud se retinuerit; & si in desperatione filiorum fuerit, nulla ratione, nec quolibet modo dare potest. Quæ si facta fuerint, nullius momenti erunt, &, eo defuncto, omnia ad priorem dominum revertuntur.* Facultate igitur alienandi feuda sine voluntate Principis ita uti in Sicilia barones opor-

portet, ut nullum inde in fiſcum detrimentum redeat; ex regulis vero conſuetudinum feudalium, ſi venditor ſine feudali herede deceſſerit, feudum a Principe vindicari poteſt. Sed quoniam ad rectam legum intelligentiam maximi eſt momenti æqualium ſcriptorum auctoritas, videamus, quomodo doctores Siculi vetuſtiſſimi controverſum Friderici capitulum interpretati fuerint.

VI. Licet conſuetudines feudales in Sicilia, ut paſſim in Europa alibi, ſæculo decimo tertio receptæ jam forent, quæ tamen erat ſæculi ruditas, ibi potiſſimum juriſprudentia feudalis, veluti in incunabulis, vix primos vagitus edebat. Inter res domi turbidas rariſſimi ibi juriſconſulti, rariores adhuc, qui feudorum myſteria arcana noſsent. Nam per id temporis apud Siculos tam pauci operam juri navabant, ut Siciliæ Civitates pecunia ſua juvarent adoleſcentes,

 qui

qui in Bononienſi, aliove Lyceo leges addiſcerent, ut liquet ex chartis a Canonico Gregorio nuper productis *in append. introduct. ad jus publ. Sicul. pag.* 226. Sæculo tamen decimo quarto vertente, ut ſcientia iſthæc apud Neapolitanos cultores ſuos nacta jam fuerat, eorumque feudalis ſchola in dies inclareſcebat; ita apud Siculos quoque rerum feudalium periti viri non defuerunt. Ad id temporis igitur ſcholæ feudalis Siculæ natales referri debent. Per eam ætatem apud Siculos in feudali juriſprudentia palmam reliquis præripuerant Bernardus de Medico ſubtilitate ſua *Saccurafa* a Siculis dictitari ſolitus, Gvilelmus Paternionenſis, & Ubertinus de Marinis maximam nominis celebritatem adeptus cum ſingulari juris peritia, cum ſanctitudine morum. Ea enim adeo in eo emicuit, ut Panormi Epiſcopus renunciatus fuerit. Prædicti

au-

autem triumviri scholæ Siculæ feudalis primi conditores, ac Friderici Aragonensis ferme æquales veluti ex compacto docuerunt, capitulum *volentes* naturam feudorum nusquam apud Siculos immutasse; feudum igitur alienatum ad fiscum reverti oportere, si in alienantis obitu ei feudalis heres superstes haud foret. Neque vero ad sæculum decimum quintum usque quisquam ex doctoribus Siculis produci potest, qui in eo juris articulo diversas rationes inierit. Rem totam, præeunte doctissimo Marchione Simonetta, peroravit Dragonettus noster *in origin. feudor. part.* 2. *tit.* 2. Sed videamus, quo primum auctore, & quibus argumentorum ambagibus infinitam illam feudorum alienandorum licentiam doctores Siculi baronibus asseruerint, licet alienanti deesset feudalis heres.

VII. Primus, quod sciam, apud Si-

culos caufam fifci prodidit Gvilelmus Pernus. Homo fcilicet fuopte ingenio argutulus, & baro ipfe, ac baronum caufas tueri folitus fubtilitatibus fuis eorem redegit, ut fpem regreffus feudorum ad fifcum omnino præcideret. Is Ubertini de Marinis præceptoris fui fub initia fæculi decimi quinti veftigiis hærens avide arripuit feudorum diftinctionem ab eo primum excogitatam. Primus fcilicet Ubertinus apud Siculos feuda diftinxerat, in ea, quæ *latæ*, ac *ftrictæ formæ* dicuntur effe: quam recte id ab Ubertino factum, & in rebus feudalibus initiati norunt, & in præfenti non quæram. Nufquam in mentem Ubertino venit, in feudis formæ latæ reverfionem ad fifcum denegari oportere, ubi feudalis heres fuperftes baroni non foret. Quo tamen ftudio Pernus in barones abripiebatur, ea feudorum commentitia diftinctione abufus omnem lapi-

pidem movit, ut in feudis formæ latæ jus reverſionis ad fiſcum omnino interciperet. Is ſcilicet non diffitetur, jure communi feudali inſpecto, heredis vocabulo tantum liberos deſignari; verum in jure Siculo pro legum diverſitate eam vocem diverſe intelligendam eſſe pronunciat; in Friderici II. conſtitutione, filiis fratrum admiſſis, eos generatim complecti, qui ex obliqua linea in tertio cognationis ſint gradu; per Jacobi capitulum, admiſſis fratrum liberis ad trinepotem uſque, heredis vocabulum latius extendendum; eo autem contineri omnes, qui in ſexto cognationis ſint gradu; per Fridericum tandem Aragonenſem in *benedicto* illo capitulo feudorum alienandorum promiſcua facultate conceſſa, heredis vocabulum ad extraneos quoslibet extendi oportere. Ita bonus ſophiſta eo rem deducit, ut feuda formæ latæ ab allodiis differre ne-

 get.

get. Argutiolis autem suis veluti triumphans confidenter statuit, non minus testamento, quam per contractus in extraneos quoslibet id genus feuda apud Siculos transferri posse, utut desit feudalis heres. Conf. ipsum Pernum *consil.* 8. *pag.* 11. *& sequ.*

VIII. Porro qui post Pernum apud Siculos scripsere doctores, eum, velut vervecem agni, sunt complures sequuti, quippe qui aut barones erant, aut baronum offulis alebantur. Ita in Sicilia feudalis jurisprudentia plane corrupta, & ante clarissimi Simonettæ Siculam præfecturam cum fisci fraude omnium ferme sermone vulgata paroemia juris erat, in Sicilia feuda jure nudi allodii censeri oportere; de iis igitur pro arbitrio barones seu testamento, seu per contractus statuere posse, licet eis deessent heredes in gradu feudali positi. Fisci quidem causam in eo juris

ar-

articulo ſtrenue egerunt apud Siculos melioris fidei homines, & baronibus minus obnoxii: ii tamen præ aliis doctoribus ſordeſcebant præſertim pragmaticorum opera, qui baronum ſalariis & victitabant, & diteſcebant.

IX. Enimvero argumenta, quibus abſurda iſthæc doctorum Siculorum ſententia refelli poteſt, adeo ſolida, adeo firma ſunt, adeo cum ipſa feudorum natura conveniunt, ut cæcutire eum oporteat, cui fraus ea in re fiſco facta non ſuboleſcat. Si enim Fridericus feudorum alienandorum facultatem indulſit *ſine ſuorum jurium læſione*; jus vero regreſſus ad fiſcum in defectu feudalis heredis, ut ſupra evicimus, inter ipſius Principatus jura referri debet; ſi ſine feudali herede alienans obeat, feudum ad fiſcum reverti oportebit. Ea de re rectiſſime omnium Joſephus Cumia ad *capit. ſi aliquem. v. antiquis. n.* 245.

Licentia, is inquit, *alienandi data per capitulum* volentes *est legis assensus, qui nihil aliud operatur, quam ut alienatio valeat sine metu caducitatis, quia olim licentia Principis in alienatione specialiter requirebatur; sed non operatur, ut acceptor efficiatur vassallus cum diversis qualitatibus, quam esset in persona alienantis . . . ut mortuo venditore sine descendentibus, feudum Curiæ aperiatur, & non attendatur persona, seu descendentes emptoris*. Ei præivit Antonius Cannetius ad *capit. volentes pag.* 206. Sic enim ibi infit vir doctus, neque corruptus baronum offis. *Quamvis expressa licentia Principis circa alienationem feudi faciat, quod feudum non revertitur ad dominum, etiam quod deficiat, vel moriatur venditor sine herede legitimo; quamvis secus sit, quando consensus est tacitus, prout ex ista lege inducitur. Nam tunc nullum præjudicium re-*

refultat domino, quia revocat, fi moriatur venditor fine legitimo herede.

X. At vero perperam adverfus ifthæc regerunt conductitii quidam ex foro rabulæ in imperitorum aures infufurrando, vel ideo præfenti Friderici lege feuda in Sicilia allodia evafiffe, quia decimæ in venditione folutio directi dominii a Principe abdicati fit veluti compenfatio, ac pretii decimam accipiendo Princeps ejufmodi dominio fponte renunciet. Ut enim prætercam, directum feudorum dominium inter potiffima Majeftatis jura referri oportere; Principatus autem rationem non pati, ut eo dominio fe Princeps abdicet; ea in venditione præftatio alio pertinet, neque directi dominii hoftimentum videri poteft. Ipfi accuratiores Siculi paffim docent, eam in feudis decimæ folutionem laudemio refpondere, quod in prædio emphyteutico in alium transferendo exolvi juffit Juftinia-

nus

nus *in l. 3. C. de jur. emphyteut.* Ea de re teſtimonium denunciare lubet eidem Antonio Cannetio inter doctores Siculos facile principi. Ita enim is ſcribit ad *extravag. volentes. pag.196. Præterea conſiderandum eſt, quod duabus de cauſis ſolvitur iſta decima, una propter licentiam præſtitam alienandi feuda, altera, quæ eſt expreſſa in ipſa lege, ſcilicet ob recognitionem directi dominii Regis.* Cum eo præter alios conſonat Joſephus Cumia ad *capit. ſi aliquem. pag.* 325. Nimirum cum exemplo prædii emphyteutici directum feudorum dominium ad Principem pertineret, in feudis etiam alienandis paſſim in Europa receptum, ut certa pars pretii & pro conſenſu Principis impetrando, & directo ejus dominio agnoſcendo fiſco perſolveretur. Conf.Fleiſcher. *inſtitut. jur. feud. c.* 15. §. 34. *& ſequ. Laudare* apud ſcriptores ſequioris ævi eſt adprobare, aſ-

assentiri. Ob consensum igitur in feudorum alienatione a Principibus præstari solitum, quæ pro eo impetrando rata pretii solvebatur, *laudemium* est appellatum. Hinc *pro laudibus*, *&* *vendis* illud præstari dixit sequior ætas. Ita charta apud Ducang. ex *tabul. S. Flor. in Arvern. ann.* 1282. *Confitentes, nos inde habuisse pro laudibus, & vendis, & investitura duodecim libras Turonenses.* Indidem, & in eamdem sententiam excusa vocabula *laudationes*, *laudamentum*, *laudaticum*. Exempla prostant, ut passim alibi, apud eumdem Ducang. *in allatis vocib.*

XI. In decima autem exigenda benigniorem Siculis se præstitit Fridericus. In emphyteusi scilicet laudemium directo domino exolvi debet non tantum in venditionis causa, sed & quocumque singulari titulo prædium emphyteuticum in alium transferatur. In plerisque quoque

que provinciis, in quas feudorum institutum fuit invectum, laudationes exolvi oportebat, quaqua de causa in alterum feudi translatio fieret, veluti si legato, donatione, & ipsa *vadii*, seu pignoris datione factum id esset. Res liquet ex chartis a Ducangio productis *voc. laudemium*. Id ipsum inculcat Guntherus *libr.* 8.

Si quis habens, feudum, pretio seu
vendere totum,
Seu dare, seu vadio supponere cogitur, ille
Qui dedit, amittet, nec, qui suscepit, habebit;

nisi scilicet solitæ præstationes domino directo fierent. Verum in suo capitulo Fridericus remittens de fisci jure tantum in venditione decimam pretii præstari jussit; in casu vero permutationis tantum pro ratione pecuniæ, quæ soluta foret, decimæ ratam exolvi. Sed

&

& eam pretii decimam intra æquiorem modum redegerunt apud Siculos recepti mores. Si enim intra ſex menſes ab emptione ea ſolvatur, decimæ triens remitti ſolet, ut ſupra monuimus. Vides igitur quam vigilantes Siculi ſomnient jactitando, propter decimæ ſolvendæ neceſſitatem directum feudorum dominium a Friderico fuiſſe abdicatum, & quam vere apud imperitos clamitent, intra centum annorum ſpatium ob frequentiſſimas feudorum alienationes ſolidum feudi pretium ad fiſcum redire. Quam recte id aſſeratur, facile definieris ex clariſſimo Simonetta in plena opinione ſua *de æquilibr. oner. in Sicil.* Ibi enim advertit, facta coacervatione decennii, ex relevio, & decima vix uncias 3759. quotannis in fiſcum inferri. Neque vero regeras, immunitatem baronum Neapolitanorum a feudali laudemio in feudis alienandis argumento eſſe, decimæ præſta-

ſtatione per Fridericum impoſita, dire-
cto feudorum dominio in Sicilia renun-
ciatum intelligi oportere. Plures enim
cauſæ produci queant, cur ab ea ne-
ceſſitate Neapolitani præ Siculis immu-
nes evaſerint. Primo enim feudorum
alienandorum facultate Siculi pro arbi-
trio uti poſſunt; eam veniam habent
ab ipſa lege: ejus vero facultatis pre-
tium eſt decimæ præſtatio, ut ipſi ſcri-
ptores Siculi profitentur. Neapolitani
eam facultatem jure ordinario uſurpare
nequeunt. Si quando eam exercent, be-
neficio Principis illam acceptam referre
debent: eis igitur non invidendum, ſi
Principes conceſſum extra ordinem be-
neficium gratuitum eſſe juſſerint. Aliun-
de per eam tempeſtatem id non adeo fiſco
grave, cum per Friderici Aragonenſis
ætatem feudorum alienandorum facultas
in Regno Neapolitano vix concedi ſo-
leret. Deinde cum relevium longe ma-
jus

jus a Neapolitanis in baronum obitu fiſco præſtetur, eo quoque intuitu fortaſſe a feudali laudemio eos eximi placuit. Quid quod adhoæ ratione, ſeu donativi, quod ad rationem adohæ ſolvi ſolet, baronum in Regno Neapolitano præ Siculis durior eſt conditio? Ea igitur quoque de cauſa adverſus barones Neapolitanos fiſci patroni humaniorem mentem induerunt. Reſpectu autem adhoæ, ac militaris ſervitii quam melior Siculorum baronum conditio fuerit, oſtendit Jacobi *capit. barones, & alii.* 39. Sed ea de re infra ſigillatim.

XII. Ceterum his quidem accurate perpenſis, clariſſimo Simonetta viam monſtrante, atque auguſtiſſimi in Regno Neapolitano Senatus plena opinione prævia, recte cavit feliciſſimus Ferdinandus pragmatica ſanctione Panormi edita pridie idus Novembris anno 1788. *ob facultatem feudorum alienandorum ba-*

ro-

ronibus Siculis in capitulo volentes *a Friderico concessam ea in Sicilia allodia non evasisse, eorumque naturæ nil quicquam fuisse demptum; eorum igitur feuda, qui sine feudali herede decessuri forent, ad fiscum reverti oportere, quæcumque foret investituræ formula, seu* stricta *esset, seu quam* latam *appellant, nullo feudorum discrimine seu mixta, seu hereditaria esse dicerentur; barones etiam herede feudali carentes nil quicquam in fisci fraudem seu testamento, seu per contractus statuere posse; si quid adversus isthæc ii cœptassent, irritum haberi oportere.* Confer, quæ supra commentati sumus *libr.* 2. *tit.* 4 §. 11.

XIII. Antequam hinc discedamus, haud inutile fuerit advertere; in memorata pragmatica recte Principem edixisse, ob feudorum alienandorum copiam Siculis a Friderico factam eorum na-

naturam in Sicilia non fuisse immutatam. Neque regeras, feuda sponte sua alienari non posse; eorum igitur alienatione permissa per leges, apud Siculos a feudi natura recessum. Si enim post ipsum Friderici capitulum feuda in Sicilia allodia non evaserunt, atque inibi barones eorum tantum usumfructum habent; feudorum in Sicilia alienatio proprietatem non afficit, ac per eam non aliud agitur, quam ut consensu Principis in ipsa lege concesso ab alio in alium ususfructus migret. Proinde a vero aberrat ipse Cannetius asserens, respectu liberæ alienationis Siculis per Fridericum concessæ feudorum naturam in Sicilia fuisse mutatam *in capit. volentes. pag. 6. n.* 10.

XIV. At nondum hic finis. Quid enim, si feudum pactitium fuerit, & ipsis etiam liberis facta dicatur in investitura concessio, licetne possessori il-


lud alienare? Communis ferme Siculorum pragmaticorum sententia est, alienandi veniam a Friderico factam locum quidem habere, modo tamen, ut dici solet, *forma feudi non repugnet*. Eam exceptionem ita passim interpretantur, ut feudi pactitii alienationem prorsus inutilem putent; eam igitur capituli sententiam sustinere non posse, ne quamdiu quidem alienator sit superstes futurus. Cum tamen præsens Friderici capitulum feuda generatim omnia alienari sinat, possessori non denegandum videtur, ut ipsum feudum pactitium alienet. Ea vero in specie & decima fisco persolvi debet, & ad obitum venditoris usque in possessione tuendus est emptor. Eo respectu igitur falso asseritur, forma repugnante, feudum alienari non posse. Enimvero post venditoris obitum ejus in feudum pactitium jus omnino resolvitur, idque ex investituræ lege libe-

beris, aut agnatis ſtatim defertur. Exinde igitur & ſtatim jus emptoris perimitur, & feudum a liberis, aut agnatis vindicari poterit. Quapropter eo tantum reſpectu verum erit Siculorum vulgatum carmen, *forma repugnante, feudum alienari non poſſe*. Conf. Cannet. ad *cap. volentes. pag. 6. & ſequ. n. 19. & ſequ.*

XV. Hactenus in jure feudali veluti privato verſati ſumus. Porro, quod in ipſa hujus libri fronte promiſimus, jus feudale publicum enucleabimus. Hoc autem argumentum vel eorum reſpectu ſpectari poteſt, quæ directo feudorum domino præſtari debent, vel eorum intuitu, quæ in ipſa feuda, eorumque incolas baroni competunt. Ad ea, quæ directo domino præſtari debent, potiſſimum pertinet militiæ perſonale ſervitium, eique ſuffecta quæ apud nos adhoa dici ſolet, relevium etiam, & ſi quæ alia directi do-

 mi-

mini commoda complectuntur. Ad ea, quæ in ipsa feuda, & eorum incolas baroni competunt, præ reliquis referri debent jurisdictio, adjutoria a baronibus exposci solita, ac jura illa sat portentosa, quæ *prohibitoria* dici queant, & quæ commoda quidem baronum augent, naturalem tamen oppidanorum libertatem imminuunt. Ea igitur, quatenus ratio instituti patitur, sigillatim edisseremus. Sit igitur



TITULUS VI.

De militari servitio, & adhoa ejus loco præstanda.

ALibi advertimus, ea potissimum de causa feudorum institutum evaluisse, ut Principibus milites præsto forent, quorum opera per belli tempus præ-

prælia depugnarent. Barones igitur, si bellum ingrueret, eadem olim sub armis munia subire oportebat, quæ per milites sub signis hodie haberi solitos præstari solent. Proinde ubi expeditio in hostem decreta foret, quisquis de militari servitio interpellatus bellum detrectaret, nulla spe reliqua, feudum amittebat *consuet. feudal.* 2. 28. *princ.* Et olim quidem id genus servitium per semet quisque præstare adigebatur. Mox tamen benigne placuit, ut, qui expeditionis incommodum subire nollet, vel per alium Principi acceptum inserviret, vel certam partem feudalium redituum fisco solveret *consuet. feudal.* 2. 55. §. 1.

II. Ex primævo autem feudorum instituto barones exemplo militum, qui stipendia merent hodie, perpetuo in expeditionem paratos oportebat esse, neque eorum militare servitium intra certum aut tempus, aut locum coercebatur.

tur. Sane in jure feudali communi militandi necessitas infinite præscribitur, neque ea usquam certo loco, aut tempore definitur. Id ipsum sub Nortmannis, ac Suevis apud nos servatum oportuit, neque sub Rogerio, ejusve nepote Friderico, qui vim Principatus nusquam imminui patiebantur, cuiquam in mentem venisset, Principis delectum ad prælia indicentis jussa contemnere, quoquo bellum inferendum esset. Ipsa fidelitas in feudorum investituris jurato promitti solita infinitam militandi necessitatem sub Rogerio complectebatur. Sane in ejus privilegiis Civitatibus quibusdam concessis, si ibi barones essent, sine temporis, locive discrimine militiæ munus præstare jubentur. Ita quidem in privilegio immunitatis per Rogerium Messanæ concesso reliqui quidem cives militia pronunciantur immunes, baronibus tamen bellandi necessitas non remittitur.

tur. Sic enim in diplomate suo pro Messana Rogerius apud Bonfilium. *Addimus, quod nullus civis Messanensis ad stolum, seu exercitum ire cogatur invitus, præter ad hoc opus manere ad stipendia sublimatos*. Ibi sane ad *stipendia sublimati* dicuntur, qui feudo donati sublimiores præ reliquis evasissent. Fridericus quoque II. nullo cum temporis, aut loci discrimine militiæ munus barones subire jussit. Ita quidem is Abbati Casinati præcepisse traditur, *ut centum servientes bene paratos inveniat cum expensis, & armis per annum necessariis* apud Riccardum a S. Germano *ad ann.* 1228. Idem Riccardus memoriæ prodit, a Friderico *summonitos barones, & milites infeudatos de Regno per Justitiarios singulos, ut se in armis, & equis præparent ad ann.* 1239. In ea igitur infinita militiæ necessitate sub Friderico decepti Honorii IV. capitulis vi-

deri debent, qui ſcriptitarunt, ſub Gvilelmo II. non ultra tres menſes, ac tantum intra Regni fines ad bellum barones adigi potuiſſe. Vulgatus doctorum error inde manavit, quod ſub Gvilelmo II. trimeſtre militiæ tempus definitum exiſtimarint, quod, ut baronibus gratificaretur, primum definivit ſeu Honorius IV. ſeu Carolus II. Andegavenſis.

III. Ita quidem in Regno jus fuit ad Andegavenſes uſque. Amiſſa ſub eis Sicilia, audentiores etiam facti Neapolitani barones, ac periculum erat, ne & ipſi Siculorum uterentur exemplo. Ita eorum ſibi devinciendorum gratia Carolus II. per patris abſentiam ejus in Regno Vicarius vim Principatus ferme reſolvit. Nam inter capitula in S. Martini planitie edita ea de re ita cavit. *Item ſtatuimus, quod comites, barones, & alii feuda tenentes ultra tempus trium men-*

mensium non teneantur servire Curiæ sumptibus propriis: sed si eos ultra prædictum tempus Curia voluerit in suo servitio retinere, ipsis gagia debeat ministrare. Adeo verum est illud, jura Majestatis Andegavenses susque deque habuisse, ac provinciarum Neapolitanarum fuisse pestem.

IV. At vero licet prædicta lege Carolus II. Principatus causam prodiderit, majus ei tamen vulnus inflixit Honorius IV. ab ipso, ejusque parente electus querelarum arbiter barones inter, ac Principem ob arbitrium ea de re susceptum ab ejus decessore Martino. Is scilicet in capitulis suis per Caroli captivitatem editis, quod ad baronum militare munus, ipsis ferme Caroli verbis utitur; ejus tamen sententiæ laciniam hanc præmisit. *Barones, vel alii* EXTRA REGNUM *nec servire personaliter, nec adhoamentum præstare cogantur*. Id, qua

qua pollebat regnandi arte, maturiori consilio ab Honorio additum. Cum enim Pontificis territorium a Neapolitanis provinciis nullo intermedio Principatu disterminaretur, periculum præcavebat, quod haud ita multo post sub Ladislao Pontifices sunt experti, ne scilicet Neapolitanæ copiæ in regiones Romanas irrumperent. Sed ea de re plura desino, cum Neapolitani Principes Honorii IV. capitula apud nos numquam obtinere sint passi.

V. Supra monuimus, ex jure communi feudali integrum fuisse baronibus, si in expeditionem itare nollent, præstatione pecuniæ a militiæ munere se redimere. Quæ summæ ab iis persolvebantur, qui bella defugerent, *hostenditiæ* dicebantur, quippe ab iis persolvi solitæ, qui in hostem ituri non forent *consuet. feud.* 2. 40. Hostis autem vocabulo hic ipsum exercitum, & expeditionem

nem intellige: in eam vero sententiam & apud Italos hodie vox isthæc passim accipitur, & in legibus sequioris ævi frequenter occurrit. Conf. Struvium *in syntagm. jur. feud.* 11. 5. Quantitas hostenditiarum pro locorum olim diversitate diversa fuit. Sane in Italia Transtiberina denarios duodecim pro singulis terræ modiis solutos comperio, licet apud Teutonas tertiam fructuum feudalium partem eo nomine persolutam narret collector *consuet. feudal.* 2. 4. Ea tamen de re vide Cujacium ad 4. *feudor. tit.* 49.

VI. Porro Fridericus I. generatim edixit, ut, qui se expeditioni vellet eximere, vel per alium Principi acceptum militiæ munus præstaret, vel redituum feudalium semissem solveret *feudal. consuet.* 2. 55. §. 1. Ita quod ob prædictam Friderici legem in Italia Transtiberina, & passim in Europa alibi rece-

ceptum jam fuerat, ex jure feudali communi etiam apud Neapolitanos obtinuit, ut barones ſcilicet vel per ſe ipſi ſubirent militiæ munus, vel ad prædictam rationem hoſtenditias fiſco ſolverent. Id tantum interfuiſſe videtur Italiam Tranſtiberinam inter, ac patrios Regni mores, quod ibi quidem barones ipſi pro arbitrio eligere poterant, num per ſemet militare vellent, an hoſtenditiarum ſolutione eo onere ſe liberare. Verum apud Neapolitanos electio iſthæc ad Principem pertinebat, ea ſcilicet ratione, quia cum in ea debiti alternatione veluti creditor Princeps eſſet, ipſius arbitrio definiri oportebat, hoſtenditiaſne, an ipſum militiæ munus præſtari mallet. Ea in re ipſos pragmaticos ferme conſentientes invenire licet, eamque ſententiam veluti communem, ac veriorem ipſum Collaterale Conſilium agnoviſſe teſtatur Præſes Amatus *conſil.* 12. *n.* 8.

Conf.

Conf. de Marin. *allegat.* 116. *n.* 5.

VII. Rursus inter jus feudale commune, ac Neapolitanos mores & illud interfuit, quod in Regno Neapolitano, quod pro immunitate militiæ præstabatur, non voce quidem hostenditiarum est designatum, sed primum *adboamenti*, mox & *adboæ* vocabulo designari cœpit. Quod autem ad adhoamenti, atque adhoæ originationem, nescio, quæ portentosa procudere doctores, præsertim Andreas Capanus, quem, ut vervecem agni, sequuntur omnes. Nimirum is ponit, *adboare* esse conjungere, adhoam vero conjunctionem. Positionem suam & inde firmat, quod vernacule *dochæ* dicuntur tabellæ illæ ita conjungi solitæ, ut inde dolia compingantur. Ita rem eo deducit, adhoamentum, atque adhoam fuisse dicta, quia cum in tenuioribus, & minuscularüs feudis vel trientem exempli causa, vel sex-

ſextantem militis dari oporteret, plures ſimul barones poſſeſſores feudorum id genus conjunctim unum militem per delectus occaſionem præſtabant *de jur. adhoæ quæſt.* 2. *n.* 5. *& ſequ.* Ea tamen vocis originatio ſua ſponte ruit, ſi advertatur, adhoam non milites ipſos per barones in delectu habendo præſtari ſolitos deſignare, ſed pecuniarium adjumentum, quo a belli neceſſitate barones ſe redimebant, & quo, ut verbis pragmaticorum utar, *perſonale ſervitium* in *reale* tranſmutabatur. Eo accedit, quod quo tempore adhoæ vocabulum effingebatur, quod fortaſſe per Joannæ I. ætatem fuit excuſum, barones minuſcularia feuda poſſidentes, ſi quam ratam hominis deberent, eam non in militibus, ſed in pecunia penſitabant. Sane ſub ipſo Carolo I. ordinarii apud nos juris erat, ut, ſi quis quadrantem, trientem, ſextantem militis deberet, non,

non, rata quidem aliorum minutalium baronum conjuncta, militem ipsum præstaret, sed ratam ipsius pecuniæ fisco solveret. Id aperte liquet ex tabulario Regiæ Cameræ *fascicul.* 12. *fol.* 136. *usque ad* 177. Ibi enim anno 1272. sub Carolo I. Andegavensi scilicet, barones exhibentur Neapolitani, Campani, & Aversani; minuscularii autem barones non in hominibus ipsis, rata cujusque conjuncta, sed in pecunia servitium præstare dicuntur. Ita quidem ibi *pag.*22. *Dominicus Ligorius Barrile tenet feudalia, de quibus pro prædicto servitio tarenorum decem & octo, & grana septem, sicut prædicitur, deberentur.* Statim ibidem. *Henricus Brancatius tenet feudalia, de quibus pro prædicto servitio tarenorum quindecim, & grana duodecim, sicut prædicitur, deberentur.* Passim id genus præstationes ibidem invenire licet.

VIII.

VIII. His præstitutis, potius existimarim, ab initio *adhoamentum* barbare dictum *adjuvamentum*; inter sæculi vero barbariem adjuvamentum in *adhoamentum*, & adjuvare in *adhoare* conversum. Mirum id non vidisse Capanum ipsum, qui post Afflictum recte scribit, adhoamentum adjumentum esse, &, baroni remisso in investitura adjumento, adhoam, seu adhoamentum ipsum remissum intelligi *de jur. adhoæ quæst.* 3. *n.* 5. Eo accedit, quod ejus ætatis scriptores, per quam levamentum illud militiæ adhoamentum appellari cœpit, passim *adjumentum* pro adhoamento dicunt. Instar omnium sit Rex Jacobus, qui apud Siculos Regnum obtinuit ab ipso anno 1286. Ita enim is infit de adhoamento cavens *in capit.* 39. *Barones, & alii extra Regni confinia nec servire personaliter, nec adjumenta præstare cogantur*. Quod autem animadversione dignum,

gnum, ea Jacobi lex ad verbum excripta fuit ex Honorii IV. capitulis §. *barones*. Id tantum inter utrumque discriminis intercedit, quod præstatio isthæc in Jacobi capitulo adjumentum dicitur; verum ab Honorio adhoamentum vocatur. Stet illud igitur, adhoam, primo *adjumentum*, mox barbara voce *adjuvamentum*, denique, sermonis magis decollante elegantia, vocabulo illo cerebroso conficto, *adhoamentum* dictitatam fuisse. Inde autem intelliges, cur adhoamenti quidem vocabulum ad hostenditias designandas vetustius in Regno fuerit: nam eo utitur ipse Fridericus II. in charta anni 1221. Vide Ducang. *in voc. adhoamentum*. Contra serius in eam sententiam vox adhoæ usurpari cœpit, ejusque primum exemplum producit idem Ducangius ex charta Joannæ I. ann. 1366. *in voc. adhoa*. Verum ab Iserniæ ætate vox isthæc apud Neapolita-

nos communi usu recepta jam fuerat. Nunc videamus, quomodo ex patriis institutis adhoæ quantitas definita fuerit, & quatenus ea in re ab jure feudali communi recesserint Neapolitani mores.



TITULUS VII.

De adohæ quantitate ex jure Neapolitano.

SUpra monuimus, per Fridericum I. hostenditiarum, seu adhoæ summam ad semissem usque redituum feudalium productam fuisse constitutione, quæ extat 2. *consuet. feud.* 55. §.1. Sub Nortmannis, ac Suevis igitur in legum patriarum defectu apud nos id ipsum servatum oportuit. Per ea tempora in eo tantum a prædicta Friderici constitutione desciverant recepti mores, quod aliquid

quid ultra redituum semissem in fiscum inferendum esset. Ex singulis enim viginti unciis, quæ ex feudo redirent, decem cum dimidio adhoæ nomine solvi oportebat. Ita passim post Iserniam veteres Regni doctores. Conf. Capan. *de jur. adh. quæst.* 1. *n.* 2. & 5. & Regent. Moles de eodem argumento latius differentem, ac post ipsum Capanum impressum *pag.* 335. Decem unciis dimidium fortasse additum, ut salarium præsto foret iis, qui per provincias adhoas colligebant.

II. Enimvero id perpetuum in Regno non fuit, & non minus cum fisci fraude, quam cum eorum injuria, qui feuda incolerent, adhoarum præstatio novam faciem induit. Nam per Andegavensium tempora potentatui baronum doctores inservientes tria feudorum genera distinxerunt, prout ea aut in locis cum oppidanis inhabitantibus, aut in

prædiis sine incolis, aut in nudis vectigalibus, ac fiscalibus functionibus constituta forent. In feudis cum oppidanis inhabitantibus adhoæ nomine ex singulis viginti redituum unciis decem cum dimidio solvendas pronunciarunt. In feudis in prædia sine incolis constitutis redituum quadrantem, & aliquanto plus solvendum edixerunt, sex scilicet ex singulis viginti unciis. In feudis denique, quorum in reditu nuda vectigalia forent, minus adhuc solvendum putarunt. Nam ex singulis viginti unciis quinque cum dimidio solvi voluerunt. Ejus differentiæ rationem inde repetit Moles *loc. cit.* quod in feudis cum civibus non solidam quidem adhoam sustinebat baro, sed ejus dimidium a feudorum incolis is exigebat. Ita feuda cum incolis cum feudis in vectigalia constitutis, quod ad adhoam, fermè æquabantur, unde, ut vidimus, ex singulis viginti unciis quinque

que cum dimidio fisco præstari oportebat. Aliquanto plus ex feudis in nuda prædia constitutis, sex scilicet ex singulis viginti unciis, exactum is docet, quia inibi per baronis industriam reditus augeri poterant.

III. At vero eo feudorum discrimine per doctores invecto, ii non minus fisci, quam universitatum causam prodiderunt. Nam fisci quidem causa est prodita, quia nulla in Regno lex unquam juri feudali communi obrogavit. Eo autem inspecto, sine feudorum discrimine hostenditiæ, seu adohæ in ipso feudalium redituum semisse per barones præstari debent. Universitatum quoque causa pessumdata, quia adversus constitutionem Regni primævam baronibus ipsis adhoæ dimidium sunt adactæ persolvere. Ut autem liqueat, quo jure, quave injuria commentitia isthæc doctorum portenta apud nos invaluerint, ipsa Nort-

mannici Principatus primordia paulisper memoria recolamus, oportet, & quem modum in novis provinciis ordinandis publicarum functionum respectu Rex Rogerius servari jusserit. Ita enim facillime decerni poterit, an monstrosa isthæc doctorum commenta cum ipsa nostrarum provinciarum primæva constitutione conveniant.

IV. Ut autem eo perveniamus, advertendum in primis, in legibus scribundis Rogerium aliorum Regum, & Gentium leges diligentissime inquiri curasse, atque inde, quod pulcherrimum, atque utile videretur, in suas provincias transtulisse, ut testatur Hugo Falcandus *histor. Sicul. apud Caruf. tom.* 1. *princ.* Facile autem ostendi queat, in novo suo Principatu constituendo Rogerium, quod ad publicas functiones, Wilelmi potissimum leges sequutum, qui haud pridem Anglia potitus fuerat, & ipse gen-

gente Nortmannus erat. Ea in re constat, Wilelmum, Anglis subactis, ut ratio quæstuum, & necessitas erogationum congrueret, prædia generatim omnia in provinciis bello partis in tabulis censualibus describi jussisse; ex singulis quoque prædiis secundum ipsos Nortmannorum mores, ut infra liquebit, vectigal in fiscum inferri mandasse. Passim id memoriæ produnt scriptores Angli. Ea sane de re ita Ingulfus Wilelmo coævus *pag.* 908. *Totam terram descripsit, nec erat hida in terra Anglia, quin valorem ejus, & possessorem scivit, nec locus, nec lacus aliquis, quin in Regis Rotulo extitit descriptus, ac ejus reditus, & proventus, ipsa possessio, & ejus possessor Regiæ notitiæ manifestatus juxta taxatorum fidem, qui electi in qualibet patria territorium proprium describerent.* Rotulus liber erat ferme rotundus, & veterum

voluminum conflatus in morem. Vide Ducang. *in voc. rotulus*. Inde & *inrotulare* in acta referre apud sequioris ævi scriptores, ut idem advertit. Hinc idem Ingulfus mox addit. *Ipse Rotulus vocatus est Rotulus Wintoniæ, & ab Anglicis pro sua generalitate omnia tenementa totius terræ integre continente domesdei cognominatur*. Eum Rotulum *Wintoniæ* vocatum advertit idem Ducangius, quia ab initio quidem asservabatur apud Wintoniam; at hodie Westmonasterii asservari in fisci tabulario idem monet *in voc. domesdei*. Ne quid autem fraudis fisco fieret, omnium oppidorum prædia in tabulas censuales Wilelmus referri curavit, & accurate describi, quot terræ *hidæ*, seu jugera, in singulis oppidis continerentur. Sane ex Spalmanno Ducangius oppida refert quatuor supra triginta, ac numerum in singulis oppidis hidarum affert *in voc. hida*.

da. Hinc apud Anglos soli tributum *bidagium* appellatum, ut in ea voce idem Ducangius observat. Sed & hidagii quantitatem apud coævos scriptores invenire licet. Sane Simeo Dunelmensis de eodem Wilelmo anno 1084. ita memoriæ prodit. *Rex Anglorum Wilelmus de unaquaque hida per Angliam sex solidos accepit*. Censum autem in fiscum inferri jussit Wilelmus non tantum ex burgensium, ac baronum prædiis, sed Abbatum, & Episcoporum quoque. Ita enim ea de re Matthæus Parisius *in Wilel. conqu. Episcopatus, & abbatias omnes, quæ eatenus ab omni servitute sæculari libertatem habuerant, sub servitute statuit militari inrotulans singulos Episcopatus, & abbatias pro voluntate sua, quot milites sibi, & successoribus suis hostilitatis tempore voluit a singulis exhiberi pag.* 8. *edit. Parisiens.* Id autem apud Anglos Wilelmus in-

instituit ob patrios mores, & ex *consuetudine Nortmannorum*, ut constat ex Rogerii privilegio Barensibus concesso apud Hughell. *tom. 6. pag. 613.*

V. Porro facile evinci queat, nostrarum provinciarum potitum Rogerium, quod ad publicas functiones, eas iisdem legibus ordinasse, quibus ex Nortmannorum more apud Anglos usus Wilelmus fuerat. Proinde recte edixit doctissimus Simonetta, *defetarios*, quos appellamus, in tumultu sub Gvilelmo I. Panormi deperditos ipsas tabulas censuales fuisse, in quibus non tantum feuda, eorumque onera, sed & prædia generatim omnia descripta forent, & quas ex singulis collationes in fiscum inferri oporteret. Vide ipsius quantivis pretii opus *de æquilibrand. donativor. oner. in Sicil. pag.* 30. Sed & eo me trahit Hugo Falcandus *histor. Sicul. tom.* 2. *pag.* 440. *ap. Caruf.* Ibi enim is tradit, defeta-

tarios illos *terrarum*, *feudorumque diſtinctiones* fuiſſe complexos; ii autem cum poſt Panormi tumultum magno cum fiſci malo inveniri non potuiſſent, ea de cauſa conſilium Gvilelmo datum, ut Matthæum notarium, qui res defetariorum apprime norat, carcere liberaret, ac libros illos ejus opera reſtitueret. Eodem pertinet Regis Rogerii privilegium, quo Barenſibus conceſſit, ne ab ipſis collecta exigeretur apud Hughell. *ad Epiſc. Barenſ. tom. 6. pag. 613.* Ejuſmodi quoque privilegium & Meſſanæ conceſſum, quod exhibet in hiſtoria ſua Bonfilius *part.* 1. *libr.* 4. *pag.* 217. Si igitur ſingularis beneficii titulo immunitas iſthæc Barenſibus, ac Meſſanæ conceſſa fuit, ab aliis oppidis collectam generatim ſolutam oportuit. Dignum autem memoratu eſt, quod in Barenſi privilegio eadem collecta *ex conſuetudine Nortmannorum* ſoluta dicitur.

Inde

Inde igitur inferre licet, ex patriis moribus eam præstationem apud Anglos instituisse Wilelmum, ac sub ipsa Nortmannorum primordia apud Neapolitanos, ac Siculos eamdem exactam. Quapropter falsus est Annibal Moles, qui post Iserniam docet, primum a Friderico eam apud nos institutam *de Reg. fisc.* §. 1. *n.* 25.

VI. Ex dictis liquet, sub ipsa initia Nortmannici Principatus soli tributum, quod *collectam generalem* per id temporis appellarunt, in Regno Neapolitano indictum nullo discrimine, seu in feudis, seu in oppidis demanio Principis reservatis prædia constituta forent. Ita ad Principis Majestatem tuendam per id temporis conspirabant omnes. Barones præstabant militare servitium, nisi adhoam Princeps mallet; burgenses soli tributum, quod *jugationem* veteres appellarunt. Perperam vero id munus sub Gvilelmo II. remissum quis dicat. Ejus enim

enim remiſſionis veſtigium nuſquam occurrit; aliunde eo facinore vis Principatus ipſius reſoluta foret. Eo accedit, quod Fridericus II. a veteri Nortmannorum conſtitutione ea in re non recedens id tributi genus generatim exegit, eamque ob rem nemo eum novitatis arguit. Ejus rei illuſtre monumentum, & a nullo hactenus memoratum in regeſto Friderici II. ſuperioribus annis Regiis typis edito deprehendere licet *pag.*306. Sic autem ibi Fridericus ad *Aprutii Juſtitiarium*. *Cum igitur velimus in præſenti, ut Regnum noſtrum nobis ſubventionem faciat, colligendam, poſtpoſita tarditate, in ea quantitate, & forma, quæ in collecta anni præteriti ſtatuta extitit, & ſervata, ecce mittimus ad te judicem M. de Juvenatio fidelem noſtrum, qui ſuper quantitate, & forma colligendæ collectæ noſtram tibi patefaciet voluntatem . . . .*

ita

ita quod quantitas imposita anno praeterito in Justitiariatu tuo in nullo penitus minuatur. In divalibus Friderici literis duo quidem velim adverti, primo scilicet ibi de collecta ordinaria agi, cum non dissimilis ab ea jubeatur esse, quæ superiori anno fuerat exacta; deinde eamdem generalem fuisse. In ipso enim regesto memorantur reliqui Regni Justitiarii, ad quos eædem a Friderico literæ missæ dicuntur. Constat igitur, ex primæva Nortmannorum lege per Friderici ætatem prædiorum intuitu collectam generalem in Regno solutam; oppidanos feuda inhabitantes eam directo præstitisse Principi; per id quoque temporis nusquam adhoæ dimidium baronibus pensitasse feudorum incolas, ubi a baronibus ipsis eam præstari oporteret. Sed videamus, quibus initiis adhoæ dimidium oppidani baronibus exsolvere adacti fuerunt.

TI-



TITULUS VIII.

Quibus initiis barones ab oppidanis exegerint adhoæ dimidium.

UT constet, quo jure, quave injuria barones adhoæ dimidium a feudorum incolis extorquere cœperint, reminisci hic quidem oportet, post Vesperum Siculum Andegavensibus illum internecivum Neapolitanos quoque per Carolum I. avidioris ingenii Principem durius habitos tumultuari cœpisse, atque eo res ferme redactas, ut adversus Andegavenses fidem exuere meditarentur. Carolus II. inter patris absentiam ejus in Regno vicarius in rebus trepidis consultissimum censuit, controversiarum arbitrum Pontificem Martinum IV. eligere, qui Neapolitanorum expostulationes audiret, de gravami-

minibus a patre Neapolitanis illatis cognosceret, &, quod in concessione Siciliæ Carolo I. facta placuerat, omnia intra modum redigeret, qui sub Gvilelmo II. servatus in Regno dicebatur. Ita enata Martini, seu potius Gerardi ejus in Regno Neapolitano legati capitula, licet ea perierint. Nam post Martini obitum de iisdem articulis Honorius IV. capitula sua & ipse scripsit, quo tempore Carolus II. apud Aragonenses captivus agebat. Ita factum, ut Honorii IV. capitula Martini, seu Gerardi capitulis obrogarent, atque ea hodie nusquam occurrant. Cum vero increbescerent in dies in Regno Neapolitano motus, ante ipsius Martini capitula Carolus II. interea temporis novis suis legibus tumultuantes animos sedandos suscepit iis indulgendis, quæ tempus monebat. Anno igitur 1383. ut Jannonius rationes init, Episcoporum,

rum, baronum, & syndicorum universitatum in planitie S.Martini apud Bruttios conventu habito, ad demerendos potissimum baronum animos capitula sex supra quadraginta scripsit. Per id temporis vis armorum penes barones erat: ab iis igitur periculum imminebat. Proinde in iis scribundis baronum potissimum rationem habuit; reliquis susque deque habitis, id unice egit, ut eorum animos sibi conciliaret. Ita Caroli II. capitula baronum favorem ubique spirant. Inde factum, ut adhoæ dimidium ab oppidanis barones extorquére cœperint infausto illo capitulo *comites*, *barones*, *feudatarii*. Ibi quidem retenta collecta generalis ab ipsis feudorum incolis persolvenda, baronibus tamen concessa & facultas fuit, ut adhoæ dimidium ab ipsis possent exigere. Lubet in re celeberrima ipsa Caroli II. verba hic exhibere. Sic igitur ibi Princeps. *Co-*

mites, barones, feudatarii, si subventionem a vassallis eorum deposcunt pro servitio debito, quod fecerunt anno illo, quae subventio semel tantum in anno praestetur dominis a vassallis, habeant, & exigant a vassallis ipsis medietatem pecuniae, ad quam ascendit servitium praestitum nostrae Curiae, dum tamen non excedat medietatem collectae generalis pro nobis, & Curia nostra vassallis ipsis impositae anno ipso. Sed videamus, quibus technis barones id facinus aggressi fuerint, & quo ii argumento usi Carolum II. eo perduxerint.

II. Quibus artibus barones dimidium adhoae a feudorum incolis coeptarint exigere, innuit idem Carolus II. *in capit. item statuimus, quod comites, barones, & alii feuda tenentes*. Ibi nimirum baronibus Princeps indulget, *ut in casibus Regni constitutionibus permissis possint moderatum adjutorium petere,*

re, nec necesse habeant super hoc literas impetrare, cum sufficiat prædictæ constitutionis edictum. Nemo non videt, ibi indicare Carolum Gvilelmi I. constitutionem *quamplurium. de adjutor. exigend. ab homin.* Eam sane constitutionem a baronibus allegatam oportuit ad id privilegium extorquendum. Neque enim alius ex jure feudali seu communi, seu patrio locus produci potest, quo monstrosum id privilegium tueri liceat. Videamus igitur, an inde desumptum argumentum firmo stet talo, & quam recte Carolus II. ea lege innixus semissem adhoæ ab oppidanis petendi baronibus facultatem indulserit.

III. Ut igitur veluti in re præsenti de tota controversia decernatur, ipsa constitutionis verba hic producemus. Sic autem ibi Gvilelmus edicit. *Quamplurium Regni nostri fidelium ad nos querela pervenit, quod prælati Ecclesiarum,*

 co-

comites, barones, & milites in necessitatibus suis pro suæ voluntatis arbitrio ab hominibus suis adjutoria exigunt, & extorquent. Volentes igitur tam duræ subjectorum nostrorum oppressioni misericorditer providere, statuimus, dominos non nisi in subscriptis casibus tantum ab hominibus eorum adjutorium petere. Mox casus suddit, in quibus adjumenta a baronibus peti jus foret. De hostenditiis occasione belli petendis, seu adhoa, nusquam in ea constitutione mentio. Perperam igitur & barones, & Carolus eorum dolo circumventus pro rata adhoæ ab oppidanis petenda eam constitutionem in medium protulerunt. Sed tantisper penitius ipsam constitutionis sententiam investigemus, ut apertius liqueat, an quicquam præsidii pro jure suo tuendo inde barones mutuari queant.

IV. Ut controversæ constitutionis sententia plane intelligatur, advertendum

in

in anteceſſum eſt, baronibus in capite a ſubvaſſallis ſuis adjumenta præſtari oportere iiſdem ferme de cauſis, ob quas alias reſpectu ſummi Imperantis ſubſidia ſubditi præſtare debent: licet perperam, & contra jus publicum Honorius IV. caſus ipſe definierit, in quibus Regibus Neapolitanis adjumenta præſtari oporteret. Ea enim facultas jure Majeſtatis Principi in Civitate competit, neque ab alio Principe aut coerceri, aut legem poteſt accipere. Principis ea de re cauſam doctiſſime peroravit Marchio Simonetta in conſultatione ad Siciliæ proregem ſcripta, atque publici juris facta per Carolum Pecchiam *in hiſtor. civil. tom.3. pag.186.* Porro ſub Gvilelmo I. potentatu ſuo abuſi barones in capite leviſſimis quibuſque de cauſis a vaſſallis ſuis, quibus ſuffeuda conceſſiſſent, adjumenta & efflagitabant, & extorquebant. Eorum igi-

 tur

tur complures precibus Gvilelmum interpellarunt, ut eam injuriam ab ipsis arceret, ac lege sua causas ipse definiret, quarum respectu baronibus in capite adjumentum a suffeudatariis præstandum esset. Id æquissimum Gvilelmo visum, ac precibus eorum indulgens in præsenti constitutione casus recensuit, quibus intervenientibus, baronibus adjumentum petendi jus esset ab iis, quibus suffeuda largiti forent. In prædictis casibus recensendis adhoæ mentio nusquam occurrit, & iniquissimum fuisset per belli tempus barones in capite a suffeudatariis exigere semissem adhoæ, quæ pro suffeudi accepti ratione & integra pro suffeudo a suffeudatariis ipsis præstanda foret. Ita enim totum ferme belli dispendium in suffeudatarios recidisset. Sed pone, quod falsum est tamen, de adjumento etiam per adhoam præstari solito constitutionem intelligen-
dam

dam esse, eo sane onere feudorum incolas gravari non oporteret, cum ibi Gvilelmus de iis tantum caveat, qui a baronibus ipsis feudum accepissent. In eam vero sententiam tam aperta sunt argumenta ex ipsa constitutione desumpta, ut mirari subeat, cur inter recentiores nemini suboluerit fucus ea in re factus feudorum incolis. Sane Gvilelmi constitutionem de suffeudatariis intelligi oportere, cum voces ibi usurpatæ, cum veterum glossatorum auctoritas, cum primæva Regni constitutio prorsus evincunt.

V. In ea re igitur primo ipsam constitutionis rubricam adverti velim. Sic enim ibi. *De adjutorio præstando ab hominibus*. Dupondii norunt, per Gvilelmi ætatem homines appellatos, qui feudis donati forent. In jure communi feudali quoque, quod sub Gvilelmi tempora collectum constat, eo vocabulo in

eam ſententiam adhiberi ſolito nil ſane frequentius. Inde vocabula in re feudali celeberrima *hominium*, *homagium*, *hominiſcum*, *hominatus*, *hominagium* apud ſequioris ævi ſcriptores pro profeſſione fidei, & obſequii, quod jurato domino promittebat, qui feudum accepiſſet. In re tam vulgata non lubet aliorum ſcrinia expilare. Conf. Ducang. *in voc. hominium*, *& ſequ.* Ne quis vero regerat, ex gloſſatorum fortaſſe cerebro id vocabulum conſtitutioni præfixum, ipſa conſtitutio eam exceptionem præcidit. In ea enim vox iſthæc bis adhibetur. Eo accedit, quod in conſtitutione homines *dominis* opponuntur; domini autem per Gvilelmi ætatem, ut in ipſo jure feudali communi paſſim videre licet, appellabantur, qui feuda conceſſiſſent. Conf. eumdem Ducang. *in voc. dominus*. Quid quod in conſtitutione *tantum ab hominibus ſuis* baronibus conceditur adjutorii

rii petendi facultas? *Tantum* apprime probat, a solis suffeudatariis adjumenta præstari oportere. Alias *tantum* illud ineptum esset. Nam posito, quod feudorum incolæ ad adjumenta adigendi forent, exploratum erat, ab aliis, qui feudum non incolerent, adjumenta peti non posse, neque addi oportebat, ea *tantum ab hominibus suis* peti jus esse. Sed ea in re ipsa constitutionis initialia verba decretoria videri debent. Sic enim Gvilelmus infit. *Quamplurium Regni nostri fidelium ad nos querela pervenit*. Atqui nemo unus ignorat, feudatarios, ac suffeudatarios ipsos, non vero feudorum incolas fidelium vocabulo designari.

VI. Ne quis vero, quam appingimus constitutioni, sententiam novitatis arguat, vetustissima glossatorum natio, & quæ parum abfuit a Gvilelmi ævo, eam de suffeudatariis tantum accepit.

Ita

Ita quidem Marinus de Caramanico optimus ille constitutionum interpres, & Friderico II. ferme coævus aperte docet, eam constitutionem de suffeudatariis intelligendam esse. Ad verba enim, *moderate tamen in his, quæ pro nostro corredo dantur*, hæc adlinit; *idest secundum qualitatem, & quantitatem feudi*. Ipse autem Andreas Isernia baronum alias fautor acerrimus a Caramanici sententia non recedit, licet per ipsius ætatem ob Caroli II. capitulum adhoc dimidium ab oppidanis baronibus solveretur. Atque ea causa fortasse Matthæum de Afflictis movit, cur ad *d. constit. n.* 30. scriberet, feudorum incolas de jure quidem adjumenta baronibus præstare cogi non posse, ob vetustissimam tamen baronum possessionem ei necessitati subjiciendos. Sed & ad Afflictum usque vix quemquam inter doctores invenire licet, qui Gvilelmi con-

constitutionem aliter sit interpretatus, Primus Marinus Freccia, quod sciam, inde fortasse deceptus, quod pridem in Regno a feudorum incolis in donativis rata etiam solvebatur, alias rationes cœptavit. Is enim *de suffeud. libr.*2. *auctor.*2. *n.* 10. totus in eo est, ut probet, Gvilelmi constitutionem de feudorum incolis scriptam esse, eosque inibi ad adhoæ semissem præstandum compelli. Verum quæ pro tuenda sententia sua profert, & auctoris imperitiam ubique produnt, & sine jactu pulveris facile refelli queant: adeo inficeta, adeo futilia sunt, ut in iis confutandis operam abuti pigeat.

VII. Ex dictis liquet, Principi obrepsisse barones ei doctorum opera suadendo, vassallorum vocabulo contineri ipsos feudorum incolas; ab ipsis igitur barones rite petere, quæ a vassallis dominis leges præstari juberent. Ita a Carolo fatale illud universitatibus capitulum facile

cile extortum *comites*, *barones*, *feudatarii*. Inde ſexcenta incommoda adverſus feudorum incolas, & qui cum in jure feudali communi, cum patrio domini appellabantur reſpectu vaſſallorum, quibus feuda conceſſiſſent, domini credi cœperunt eorum intuitu, qui feuda inhabitarent. Ita vero maximo cum Regni malo & colonis ſuis privatæ provinciæ, & nota veluti ſervitutis illis inuſta, qui oppida baronum incolerent. Quæ ſane cum adverſus jus Regni primævum e baronum aſtu proceſſerint, & inde provinciæ incommoda complura ſentiant, publice expediret, ut omnia reſtituerentur in integrum, &, cum barones in feudis domini oppidanorum non ſint, ſed Regis veluti magiſtratus, æquaretur conditio civium; abolita igitur falſa illa ſervitutis imagine, feudorum incolis natalium macula prorſus elueretur. Sed eam
in

in rem publica poteſtas inquirito. Quod ſupereſt, videamus, an ipſa primæva conſtitutio Neapolitanis provinciis a Nortmannis impoſita præſentem Gvilelmi legem aliter interpretari ſinat.

VIII. Supra vidimus, ipſum Regem Rogerium & ex veteribus Nortmannorum moribus, & Wilelmi apud Anglos exemplo prædia generatim omnia publicis functionibus ſubjeciſſe, ſeu in feudis, ſeu in locis demanialibus poſita ea forent. Ita vero per bella Principem adjuvabant omnes, barones quidem perſonali ſervitio, oppidani, ubicumque lares fixiſſent, pecunia ob generalem illam collectam in fiſcum inferri ſolita. Ipſa igitur politica conſtitutio non ferebat, ut adhoæ ſemiſſem a feudorum incolis barones exigerent, ne cum baronum compendio oppidani duplici onere attererentur. Aliunde per Gvilelmi tempora barones maximi quidem poſſeſſo-

res

res erant, nullam tamen in feudorum incolas jurisdictionem usurpare poterant. Nam per eam tempestatem aut per justitiarios, aut missos dominicos, aut per bajulos jus dicebatur, neque, qui feuda inhabitarent, obsequium ullum necessitate juris baronibus præstare adigebantur. Nam, nullo inferiori domino intermedio, a Principe & ipsi pendebant. Ipsum juramentum fidelitatis, quod hodie a feudorum incolis præstari solet, baronibus per id temporis præstari non oportebat. Is enim abusus ex Friderici constitutione perperam intellecta processit *domini a vassallis. de assecurat. domin. a vass.* Ibi enim id juramentum Princeps baronibus præstari jubet tantum a vassallis, iis scilicet, qui ab ipso barone feudum accepissent. Nam per Northmannorum, ac Suevorum ætatem nusquam invenies, feuda inhabitantes vassallos fuisse appellatos. Ita nullum

juris

juris vinculum suberat, cur baronibus oppidani aut semissem adhoæ, aut alia adjumenta præstarent. Ipse Pontifex Honorius IV. qui in capitulis suis baronum causam unice fovet, in casibus a se præstitutis ipsi Principi quidem, non vero baronibus adjumenta præstari jubet. Stet illud igitur, ad Carolum II. Andegavensem usque ipsam politicam Regni constitutionem pati non potuisse, ut semissem adhoæ ab oppidanis barones exigerent. Nunc, quod supra promisimus, videamus, quanta quoque cum fisci fraude adhoæ dimidium a feudorum incolis fuerit extortum.

IX. Supra monuimus, inspecto jure communi feudali, hostenditias, quæ in Regno adhoæ sunt appellatæ, ad dimidium redituum feudalium pertigisse. In jure autem feudali communi seu in prædia, seu in oppida feuda constituta forent, æqua conditio baronum erat, & ab omni-

omnibus in semisse redituum hostenditiæ solvi jubebantur. Id ipsum sub Nortmannis, ac Suevis apud nos servatum oportuit. Enimvero ubi adversus feudorum incolas per Caroli II. capitula instructus dolus baronibus ex voto cessit, doctores, qui eis plerique erant abnoxii, alio se converterunt, ac fisci causam veluti per consequentiam pessumdare sunt aggressi. Nimirum ad solvendum adhoæ dimidium adactis feudorum incolis, durior videbatur baronum conditio, quibus aut in nuda prædia, aut in vectigalia feuda concessa forent. Ita cerebrosa æquitate sua doctores horum quoque conditionem æquandam cum illis censuerunt, qui in oppida jus feudi accepissent. Proinde maximo cum fisci malo pronunciarunt, adhoæ tantum dimidium ab iis solvi oportere, qui aut nudis prædiis, aut vectigalibus feudi titulo potiti forent. Inter patronorum fi-

fisci negligentiam id quoque facinus baronibus læte cessit. Ita eo perventum, ut feuda in vectigalia habentes adhoam solverent ad eamdem rationem cum illis, qui feuda haberent in oppida constituta, scilicet 26. 1. 5. in centena singula; licet feuda in prædia habentes tantisper ultra fructuum quadrantem solvere adacti fuerint, triginta scilicet in centena singula. Conf. Annib. Mol. apud Capan. *de jur. adh. pag.* 338. & *sequ.* Ita qui jus feudale penitius investigat, fraudes ubique deprehendit cum adversus oppidanos, cum adversus fiscum instructas. Sane his quidem initiis factum, ut donativi rata, quam *vassallorum* appellant, cum baronum compendio a feudorum incolis exigi cœperit. Id apertius liquebit, si de *donativo* apud nos ad rationem adhoæ solvi solito sermonem instituamus.



TITULUS IX.

De donativo ad rationem adhoæ in Regno hodie præstari solito, & rata vassallorum, *quam vocant*.

SUpra ostendimus, quanto cum fisci, & oppidariorum malo semissem adhoæ feudorum incolæ solvere adacti fuerint. Verum Alfonso Aragonensi apud nos rerum potito, qua fisci, qua feuda inhabitantium tristiores fuere vices. Nimirum ad Alfonsum usque adhoæ indicendæ occasiones non adeo frequentes fuerunt; ut proinde feudorum incolæ eo onere prægravari non viderentur: fisco autem sat consultum videbatur per generales illas *collectas*, quæ ab omnibus Regni provinciis in eum inferri jubebantur. In ea rerum facie, debellato Renato Joannæ II. ex testamento here-

de

de præfertim baronum opera, Neapolitanæ provinciæ eidem Alfonſo ceſſerunt anno ferme Chriſti 1442. Is importuna ſua liberalitate baronum ſtudiis gratificaturus, quorum copiis potiſſimum e Regno Renatum expulerat, privilegiorum prodigus non ſolum collectas omnes remitti juſſit, ſed & barones ab adhois perpetuo fecit immunes *capit. & grat. Civit. pag. mib. 6. a terg.* Ibidem ad publica onera ſuſtinenda vix fiſco promiſſi aſſes centum per ſingulos *focos*, quos dicunt, quotannis ei ſolvendi. Ita primum publicæ functiones reales abolitæ, atque ejuſmodi in Regno præſtationes perſonales cœperunt eſſe. His initiis cum fiſci detrimento tributis levati, qui prædia poſſiderent, ac præter fas, & æquum, qui carebant prædiis, tributis afflicti: ingenti igitur cum pauperum damno ipſa ferme Principatus vis reſoluta. Nemo per id temporis Al-

fonfo in memoriam revocavit, quod refpondit Neroni Senatus tributa remittere meditanti apud Tacitum. *Impetum ejus, multum prius laudata magnitudine animi, attinuere Senatores, diffolutionem imperii dicentes, fi fructus, quibus Refpublica fuftinetur, diminuerentur: plerafque vectigalium focietates a confulibus, & tribunis plebis conftitutas, acri etiam populi Romani tum libertate; reliqua mox ita provifa, ut ratio quaeftuum, & neceffitas erogationum inter fe congruerent.*

II. Jam vero fifco inflictum ab Alfonfo vulnus in rebus pacatis fub ipfo latuit, cum ei non deeffent & Siciliæ, & Aragoniæ reditus, quibus & pacem, & Majeftatem imperii fuftentaret. Enimvero, eo mortalitati cedente, ftatim innotuit, quam vere pronunciarit ille, *neque quietem Gentium fine armis, neque arma fine ftipendiis, neque*

fti-

ſtipendia ſine tributis haberi poſſe. Proinde inter res domi turbidas cernens Ferdinandus I. abolitis ab Alfonſo collectis, ac tributis, quæ prædiorum intuitu in fiſcum inferebantur, Majeſtatem ſuam ſe tueri non poſſe, anno 1467. pro ratione bonorum extraordinariam collectam indixit *prag.* 1. *de appret. ſeu æſtimat. bonor.* An eum cenſum & barones præſtare ſint juſſi, ex prædicta pragmatica aperte non liquet. Iidem tamen in rerum mutatione ſibi non defuerunt. Nam, per Ferdinandum Catholicum e Regno expulſa Alfonſi I. progenie, eumdem Ferdinandum precibus adierunt, ut ex privilegio Alfonſi I. ab ipſis adhoas exigi jus non eſſet. Is tamen vetus regnandi per pacem quidem eos ab adhois eſſe juſſit immunes; ſi tamen bellum ingrueret, Regni conſtitutiones, & capitula obſervari. Neque tamen deſtitere barones rem ſuam agere. Nam haud

multo post Honorii fortasse capitula obtendentes Carolum V. interpellarunt, ut saltem ab adhois immunes fierent, si extra Regni fines bellandum esset. Eæ quidem preces altius penetrabant. Proinde a Carolo V. rescriptum, ut ea quoque in specie Regni constitutionibus locus esset *capit.* 8. *ann.* 1532. Cum vero per id temporis ordinarius Regni reditus publicarum erogationum necessitati non responderet, frequentibus *donativis*, quæ dici solent, ab ipso anno 1521. publicis necessitatibus Neapolitani Principes consulendum curarunt. Ea autem ab initio quidem non eadem in quantitate exigebantur, ut sane liquebit, si conferantur donativa, quæ per barones, & Regni universitates sunt præstita a prædicto anno cum iis, quæ insequutis temporibus ad Philippum II. usque sunt persoluta. Sub eo Principe tandem donativa isthæc ordinaria, ac certa evaserunt.

runt. Exinde enim ad publicas necessitates sustinendas invaluit, ut donativum solveretur necessitate juris, idque pertingeret ad ducatorum duodecies centena millia singulis bienniis persolvenda; singulis vero annis sena centena millia inferrentur in fiscum.. Onus ita divisum, ut ejus summæ dodrans per Universitates Regni solveretur, per barones quadrans. Conf. Capan. *de jur. adh. quæst.* 14. *n.*4. *& sequ.* Quod per fiscum ipsum ab universitatibus exigebatur, *rata vassallorum* est dicta; quod per barones solvebatur, *rata baronum* est appellata. Ratam suam præstitere barones ad rationem adhoæ. Hinc donativum id genus vocabulo quoque adhoæ designari solet. Et nos igitur cum vulgo doctorum id ipsum adhoæ aliquando vocabulo designabimus, licet singulis annis, & per pacem solvatur. Id ipsum autem ne decimam quidem partem ejus summæ complecti-

 tur,

tur, quam solvi oporteret, si vera adhoa solvenda foret.

III. Porro passim tradidere doctores, ob perpetuam illam, & numquam interruptam præstationem ab anno 1560. jure præscriptionis id donativum fisco deberi; eo sublato titulo, illud a baronibus non posse exigi. Si igitur a præscriptione recedas, vix sinunt, ut tantum per belli tempus secundum jus Regni primævum ipsa adhoa a baronibus exigatur. Conf. Joseph. de Ros. *consult.* 12. *n.* 11. Ea tamen pragmaticorum sententia nil quicquam neque ineptius, neque quod juris publici ignorantiam in ipsis magis ostendat. Neque enim id juris vindicat sibi fiscus ob imaginariam illam pragmaticorum præscriptionem, sed quia ipsa feudorum natura, & mutata rerum in Europa facies necessaria veluti consequentia ita suasit. Plus nimio etiam baronibus fiscus indul-

dulsit, ubi cum oppidanorum damno a baronibus ejus donativi tantum quadrantem exegit. Sed lubet in tam momentoso juris articulo rem accuratius enarrare.

IV. Ut igitur de tota re liqueat, recolendum in primis memoria est, feuda ab initio in Europæ Principatibus instituta, ut perpetuo præsto forent, qui pro securitate publica perpetuo excubarent, seu expectandus hostis, seu invadendus esset. Hinc, ut alibi monitum, militare servitium in ipsa natura feudi continetur, neque eo quisquam se potest eximere, modo ne in investitura ipsa militiæ munere expressim fuerit exemptus. Quamdiu Europæ Principes longiori veluti intervallo dissiti inter se erant, neque quisquam viribus adeo præcellebat, ut alienum territorium invadere impune posset, barones, qui ex primævo instituto milites erant, perpetuo sub numeris esse non oportebat. Enim-

Enimvero sæculo decimo quinto vertente, ac sub seculi insequentis initia, exemplo tristissimo illo quidem humano generi prodito per Carolum VII. Galliarum Regem, eoque prognatum Ludovicum XI. ubique in Europa mercenarios milites ali oportuit, qui militari disciplinæ insuescerent, & quoquo Gentium jussu Principum bellum inferrent. Ita exciti ferme omnes in Europa Principes militem mercenarium aluerunt, ut collatis viribus servari posset æquilibrium illud tacito veluti ipsorum fœdere constitutum, & quo labante Europæ libertas periclitabatur. His initiis Principes quoque Neapolitanos sæculo decimosexto milites sub numeris alere oportuit cum ad propulsandos hostes, cum, ubi opus, ad bellum in alienas provincias inferendum. Per id temporis barones jam imbelles evaserant, atque inter eos vix pauci militaribus laboribus ex-

exantlandis ob invalescentem mollitiem suffecturi erant. Receptum pridem in Regno fuerat, ut pro arbitrio Principum aut personale servitium, aut adhoa a baronibus præstaretur. Ita, aliorum exemplo mercenaria militia instituta, Neapolitani Reges donativum illud ad rationem adhoæ præstari solitum exegerunt, & hodie exigunt non jure præscriptionis quidem, sed quia & baronibus necessitas militiæ remissa fuit, & ratio Principatus aliter constare non potest. Id ipsum cum jure communi feudali convenit. Cum enim barones militiæ sint immunes, donativi modica illa præstatione inter frequentissimas bellorum occasiones veluti hostenditias solvunt. Exinde tamen illud fisco calamitosum, quod ad veteris adhoæ rationem donativum plerique solvunt. Inde fit, ut quos adhoæ nomine decem millia præstare oporteret, vix centum præstare soleant. Sed in isthæc summa

ma poteſtas inquirito; ea de re privato homini mutire periculoſum.

V. Porro ſumma ex adhoarum præſtatione in fiſcum redire ſolita pro diverſitate temporum diverſa fuit, & in diverſis cedularibus diverſe exhibetur. In cedulari Joannæ II. juſſu confecto, quod in Regiæ Cameræ tabulario hodieque aſſervatur, rata baronum pertingit ad unciarum Neapolitanarum decem millia & ſeptuaginta ſeptem cum dimidio, rata vaſſallorum non computata. Summa iſthæc tantiſper major apparet in cedularibus poſtea initis. In cedulari enim Ferdinandi Catholici juſſu confecto ea pertingit ad ducatorum 75616. 1. 4. Cedulare vero anni 1564. ut narrat Regens Moles apud Capan. *de jur. adh. pag.* 339. pertingit ad ducatorum 130103. 4. 14. Cum tamen anno 1564. rata baronum in donativo ad ducatos 150000. producta foret, eorum rata ad rationem ad-

adhoæ præſtari ſolita major evaſit. Conf. Joſeph. de Roſ. *conſult.* 11. *n.* 5. & 6. At in poſtremis Cameræ cedularibus ſumma adhoæ eſt longe major, ut rerum periti norunt. Facile autem intelligitur, cur tractu temporis adhoæ quantitas major evaſerit. Nimirum ab Joannæ II. ævo feuda complura redierunt ad fiſcum ſeu perduellione baronum, ſeu quia ſine herede feudali ii deceſſerant. Tractu temporis & majores fructus e feudis percepti, &, mutatis ſpecierum pretiis, eorum uberiores fuere reditus. In novis autem conceſſionibus adhoæ haud ſemel æſtimatæ ex fructibus percipi ſolitis novæ inveſtituræ tempore. Sæpe enim fiebat, ut exempli gratia ex quo feudo Joannæ ævo vix ducatorum duo millia redibant, per ætatem Philippi II. ducatorum viginti millia perciperentur. Ita adhoarum adaucta quantitas, licet in earum æſtimatione non alius a ve-

teri calculus servaretur, ducatorum scilicet 26. 1. 5. in centena singula.

VI. Ex dictis liquet, quid in hoc argumento *taxæ novæ*, ac *veteris* vocabulo apud nos designetur. Facile autem ostendi queat, melius fisci rationibus consuli, si in novis feudorum investituris cum onere taxæ novæ feuda concedantur, quicquid ob causæ studium secus statuat de Marinis *alleg.* 116. *n.* 13. Si enim id fiat, reditus Principatus certiores augentur. Certiores inquam. Neque enim aliud præter adhoas excogitari potest, unde reditus æque certos Princeps expectet. Proinde stomachum mihi movent, qui publice expedire clamitant, ut ad adhoarum redemptionem barones adigantur: inde autem redacta pecunia distracta vectigalia fiscus redimat. Ita, ut scite dictitare solet vir ille πολιτικώτατος, ac juris Neapolitani publici peritissimus, Principem apud

apud nos *vectigalium Regem* ii constituunt. Saltem, per adhoarum distractionem directo feudorum dominio ab ipso recedente, Principem eo deducunt, ut vectigalibus, quorum reditu nihil incertius, Majestatem suam, & securitatem publicam tueatur. Ne isti aut literas ignorant, aut prima πολιτικης, seu civilitatis, quam Quintilianus appellat, elementa non didicerunt. Sed e diverticulo in viam. Neque vero in cujusquam injuriam redit, si cum nova taxa feuda vendantur. Cum enim, ad fiscum redeunte feudo, feudum esse desinat, & recte observet Montanus *de regal. n. 36. vers. sed penes Reg.* id necessario fieri, ne cui res propria servire dicatur; fisco liberum esse debet, quam velit legem, in nova investitura dicere. Enimvero ea quoque de causa contendebant fisci patroni, in feudorum etiam alienationibus a baronibus fieri solitis posse

posse fiscum novam taxam exigere. Cum tamen, rite alienatione facta, res in emptorem transire debeat eadem cum causa, qua fuisset apud venditorem futura, ea fisci molimina recte subruit Carolus V. ann. 1535. *capit.* 10. *grat. pag. mih.* 104. Ibi enim baronibus concessum, ut, quod ad æstimationem adhoæ, inter venditionem, aut alterius alienationis speciem, ac successionem ipsam nil interesset.

VII. His ita præstitutis, nodus hic occurrit interprete dignus. Finge enim, in heredis feudalis defectu ad fiscum redire feudum hypothecis rite constitutis affectum; finge adhuc, id vendi oportere, ut creditoribus satisfiat. Pone etiam, eo vendito cum taxa veteri, omnibus in solidum satisfieri posse; cum taxa nova venditione inita, solidum singulis non posse persolvi. In ea specie disceptatum video, an recte contendat fiscus,

ſcus, ut cum nova taxa feudum alienetur. Contra pragmaticorum commune ſcitum ſupra eviciſſe videor, aſſenſum in feudorum hypothecam a fiſco præſtari ſolitum in ipſius fiſci præjudicium converti non oportere; per feudi igitur regreſſum ad fiſcum rem eo redire, quaſi præſtitus non eſſet aſſenſus. Si id admiſeris, integrum in ea ſpecie fiſco erit, vel ſibi feudum retinere, vel ei, quam in venditione velit, taxam imponere. Cum tamen plerique doctorum baronibus ſint obnoxii, vix quemquam inveneris, qui eo uſque fiſco indulgere velit. Proinde ſi dicas, fiſcum ob præſtitum aſſenſum creditoribus obligari, ratio juris expoſcit, ut in ea rerum poſitione feudum cum veteri taxa vendatur. Conf. de Marin. *alleg.* 117. *n.* 11. *& ſequ.*

VIII. Antequam hinc diſcedamus, haud inutile fuerit advertere, dona-

tivi juxta adhoam taxari soliti diversam fuisse rationem olim, diversam hodie esse oportere. In eo olim rata baronum quotannis, ut vidimus, ad ducatorum 150000. pertingebat. Si quis igitur in primæva donativi præstatione symbolam suam non contulisset, id damno baronum cedebat, qui ad summam prædictam usque quisque pro rata solvere adigebantur. Proinde per id temporis ob symbolas non solutas non fisco quidem, sed baronibus ipsis competebat actio. In eam vero sententiam judicatum refert Regens de Curt. *in diversor. feud. p.* 1. *fol.* 41. Enimvero ob regressum tot feudorum ad fiscum, feudis secundum taxam novam rursus concessis, barones non amplius ad veterem rationem donativum solvere oportuit, sed unumquemque, prout feudum in cedulari descriptum esset. Ita hodie ultra veterem donativi ratam plerique solvunt; si quis vero ratam in ce-

cedulari præscriptam haud solvat, non in baronum, sed in fisci detrimentum id cedit. Proinde eo nomine actio non baronibus quidem, sed fisco competit. Ea vero de re ita judicatum refert Josephus de Rosa *consult.* 14. *n.* 12.



TITULUS X.

De militari Siculorum servitio, seu adhoa.

UBi; Neapolitanis provinciis bello subactis, Sicilia quoque Nortmannorum virtuti cessit, eadem utriusque Regni fuit politica constitutio, idem & regimen. Sub Nortmannis igitur, eorumque successoribus Suevis eadem utrobique & instituta, & leges. Si deessent omnia, id prorsus evincerent constitutiones Friderici II. jussu collectæ, quæ

 non

non minus Neapolitanis, quam Siculis regionibus ordinandis, regundis ab eo sunt promulgatæ. Proinde nemo sanus inficias iverit, sub Nortmannis, ac Suevis Sicilienses barones militare servitium Principi præstitisse, neque ab eo diversum, quod superiori titulo a baronibus Neapolitanis ostendimus fuisse præstitum. Id ipsi pragmatici Siculi & agnoscunt, & scribunt. Instar omnium sit Josephus Cumia ad *capit. si aliquem in voc. servitii consueti. n.* 19. Sic enim ibi. *Jure vero antiquo Siciliæ, quod huc usque Neapolis in Regno obtinet, inter feuda distinguitur. Nam si feudum in vassallis consistit, de singulis unciis viginti reditus exiguntur unciæ decem cum dimidio, quia in hac servitii præstatione fit subventio a vassallis; & si consistit in territorio, exiguntur unciæ sex, ex quo non fit sibi aliqua subventio. Et si consistit in annuo reditu pecuniæ super*

per aliqua doana, vel gabella, sit solutio adhoamenti, vel servitii, quod vulgo lo adogo *nuncupatur, pro quarta parte reditus.*

II. Jam vero rerum apud nos potito Carolo I. Andegavensi, ut a Nortmannorum institutis is in Neapolitanis provinciis non recessit, ita &, quamdiu Sicilia ei paruit, ad veterem modum barones Siculos sibi militare servitium præstare jussit. Ad id autem usque temporis apud Siculos Neapolitanorum exemplo militare servitium præstitum in infinitum fuit, neque certo aut loco, aut tempore coercebatur. Vide, quæ supra monuimus *libr.* 3. *tit.* 8. Enimvero uti post Vesperum Siculum apud Neapolitanos Andegavenses baronum sibi devinciendorum gratia certum tempus præfinierunt, intra quod tantum militare servitium præstandum esset, ita Aragonenses apud Siculos, ut in se ba-

ronum ſtudia conciliarent, non ſolum intra certum tempus, ſed & intra ſolos Siciliæ fines id ſervitium a baronibus exegerunt. Rex enim Jacobus ipſis ferme Honorii IV. verbis uſus eà de re ita cavit *capit.* 39. *Barones, & alii extra Regni confinia nec ſervire perſonaliter, nec adjumenta præſtare cogantur. In caſibus quoque, in quibus intra Regnum ſervire, & adjumenta præſtare tenentur, ſervitia exhibeant, & adjumenta præſtent antiquitus conſueta, videlicet, quod perſonaliter ſerviant tribus menſibus cum numero militum debitorum. Et ſi forte ex aliqua juſta, rationabili, & evidenti cauſa, vel impedimento aliqui ex eis perſonaliter ſervire non poſſunt, tunc in ipſo neceſſitatis caſu pro ſingulis militibus, ad quos tenentur, pro quolibet prædictorum menſium uncias auri tres, & dimidium noſtræ Curiæ ponderis generalis exolvant.*

Ita

Ita aliud veluti agendo Jacobus & ipse velificatus est Honorii IV. consilio, quod eo spectabat, ne in Principatum Romanum alieni milites ingrederentur. Idem Jacobus nervos Principatus incidit, ac militum robore se privavit, si bellum aut diuturnius, aut extra Regni fines sustinendum esset. Id ipsum autem confirmatum ab ejus germano Friderico Rege *capit.* 29. Tantum ibi additum, ut si intra Regni fines belli causa Princeps ultra tres menses barones sub signis detinere vellet, ipsis, eorumque comitatui *stipendia competentia* largiretur. Vulnus autem longe majus Principatui in Sicilia inflictum ab Joanne Rege *capit.* 71. Cum enim ex primævo instituto ob singulas viginti uncias redituum feudalium equitem cum duobus armigeris per belli tempus a baronibus præstari oporteret, ibi ab eo cautum, ut ad prædictam redituum rationem unum equum

 cum

cum equite præstari sat esset.

III. In ea apud Siculos militaris servitii ratione per sæculum decimum quintum, ut monuimus superiori titulo, Europæ Principes antea inter se longe dissiti veluti propiores facti virium illud æquilibrium meditari jam videbantur. His initiis in Europæ provinciis post triste illud exemplum Caroli VII. eoque prognati Ludovici XI. nova rerum facies se prodebat, & hodierna militia passim inducebatur. Ita aliorum in Europa Principum exemplo Siciliæ Reges exciti, cum ad mollitiem educati barones militiæ muniis sustinendis evasissent impares, & ipsi milites mercenarios cœptarunt alere, qui in pace decus, in bello præsidium & militari disciplinæ insuescerent, & sub numeris perpetuo forent. Supra advertimus, sub ipsa Nortmannici Principatus auspicia in Regno Neapolitano barones aut ipsum militare ser-

servitium, aut hostenditias, seu adhoas præstare oportuisse. Id ipsum in Sicilia institutum obtinuisse dubitare non sinunt, quæ monuimus *libr.* 3. *tit.* 8. Hoc ipsum Regum Aragonensium leges confirmarunt apud Siculos. Ita sane a Jacobo Rege barones *servitia* exhibere, & *adjumenta*, seu adhoas præstare jubentur *capit.* 39. Cum vero, quod de Regno Neapolitano vidimus, in Sicilia quoque non minus barones, quam oppida seu feudi titulo concessa, seu relicta in demanio Principis aut militare servitium, aut adhoam præstare adigerentur, inde excusum *collectæ* vocabulum. Ita Principem adjuvabant omnes, ac pro prædiorum modo pecunia colligebatur, quam per barones, aut oppida militiæ muniis sustinendis in fiscum inferri oportebat. Proinde, quod sub Suevis, atque Andegavensibus in Neapolitanis provinciis factitatum, apud Siculos quo-

que

que per generales illas collectas & bellorum necessitatibus, & Principum dignitati consultum. Ita vero generatim omnes ex primæva Nortmannorum lege ad militare servitium adigebantur.

IV. In eo rerum apud Siculos habitu ob Ferdinandi I. Aragonensis obitum in Alfonsum cognomento *Magnanimum* ejus filium natu majorem cessit Siciliæ Regnum anno 1416. Is suopte ingenio in liberalitatem proclivior, ac novitatis avidus, quemadmodum apud Neapolitanos, collectis abolitis, quod ad publicas functiones, alias rationes instituit, & a veteribus plane diversas, id ipsum, antequam Neapolitanis provinciis potiretur & apud Sicilienses egit. Nimirum Alfonsus, ut titulo superiori vidimus, Regno Neapolitano potitus anno 1443. publicis functionibus generatim abolitis, per *donativa*, quæ vocant, & quæ ipsa tamen juris necessitatem habere cœperunt,

runt, seque, & milites mercenarios sustentavit. *Conf. capitul. Civit. pag. 5. a terg.* Id ipsum ab eo in Sicilia factum. Et ibi enim, veteri collectarum instituto exolescere jusso, ac Nortmannorum ea in re legibus abrogatis, per donativa quoque, quæ & necessaria apud Siculos evaserunt, pacis, ac belli necessitatibus succurrendum curavit. *Conf.* Jannon. *libr.* 26. *c.* 1. His initiis apud Siculos hodie per donativa fiscus tributa exigit. Ea in *ordinaria*, & *extraordinaria* dividuntur. Illa vetustioris sunt instituti; hæc ordinariis sunt superaddita, ac veluti superindicta videri queant. Extraordinaria igitur sunt appellata, non quia extra ordinem tantum indici soleant, sed quia, cum vetera illa ordinaria Principatus rationi tuendæ ob supervenientes necessitates non sufficerent, contra veterem ordinem, & antiquam illam fungendi consuetudinem postrema ist-

isthæc veteribus accesserunt. Et ipsa igitur apud Siculos hodie ordinarii juris censeri debent. Donativa ordinaria apud Siculos tredecim, extraordinaria quinque sunt numero. Ea, ut monuimus, in veterum collectarum locum sunt substituta. Inde vero & Principis dignitas, & militares copiæ sustinentur.

V. His ita præstitutis, Domitiana quidem, ac prorsus inepta disceptatio videri debet, qua quis in dubium revocarit, an ad donativa barones in Sicilia obligentur. Ea in re tamen adversus Sicilienses longa injuria, longæ ambages. Pragmaticorum enim studiis adjuti barones rebus, ac verbis contendunt, se donativis quidem ordinariis prorsus immunes esse: tantum extraordinariis vix delibari se sinunt. Nimirum, qualis hactenus baronum potentatus in Sicilia fuit, in ipsis donativis extra-

or-

ordinariis minus sextante, seu parte sexta pensitant. Nam in sexta, quam barones solvunt, imputantur minusculæ illæ symbolæ ab illis conferri solitæ, qui titulo aliquo honorifico insigniti fuerint, ut advertit Siciliensium bono natus vir clarissimus Marchio Simonetta in plena sua opinione *de æquilibr. oner. in Sicil. pag. 3. & sequ.* Ita maxima cum reliquorum Siculorum injuria barones, quos partem longe maximam publicorum onerum ferre oporteret, in Sicilia ferme evaserunt immunes; publicæ autem functiones maximam partem in eos reciderunt, qui feudis carent. Videamus, igitur, quo jure, quave injuria hæc Siculi barones contendant, & an firmo stent talo, quæ in eo juris articulo pro ipsis produci solent.

VI. Ex quo mutata rerum in Europa facies in singulis Principatibus mili-

lites sub numeris perpetuo haberi suasit, barones, ut & in primævo ipsorum instituto, milites veluti natos censeri oportuit. Proinde, si personale servitium per se hodie ipsi non præstent, adhoarum necessitatem subire debent, quibus sibi Princeps milites & legat, & alat. Ita cum apud Siculos tantum ex donativis stipendia militum expectari possint, ipsa juris publici Siciliensis ratio suadet, ut barones bellorum immunes a donativorum tributo non eximantur. Aliunde absurdum esset, & mali exempli reliquos quidem cives ad donativorum necessitatem adigere, inde vero barones eximere, qui naturali suo instituto, ac potiori jure præ reliquis ad militiæ munia obligantur. Perperam vero pro Siculis baronibus jactitari solet, eos ab ea necessitate vel inde eximendos, quia, si bellum ingruat, servitii militaris onus declinare nequeunt. Nam

&

& omnia Siciliæ oppida per bellorum occasionem militare servitium ex Nortmannorum primævo instituto præstant, ea tamen de causa a donativorum necessitate non eximuntur. Si igitur ob fortuitum belli periculum ab ea necessitate barones eximi oporteret, actum de fisco esset, ejusque necessitatis omnia in Sicilia oppida immunia pronuncianda forent. Eo accedit, ut advertit doctissimus Marchio Simonetta in sua plena opinione *de æquilibr. oner. in Sicil. pag.* 5. quod Neapolitani barones, ingruente bello, militare servitium subeunt præstatione equi, quem *montatum* appellant, & ipsi tamen perpetuum donativum juris necessitate solvunt, quod ad rationem adhoæ præstitum ab initio supra docuimus.

VII. Quod autem diximus, barones donativorum, quæ *ordinaria* vocant, necessitatem subire oportere, non solum

ra-

ratio juris publici apud Siculos, ſed & ipſa hiſtoria rerum apud eos geſtarum ſuadet. Nimirum ubi primum Alfonſus per donativa ab initio temporaria Principatum in Sicilia ſuſtentare cœpit, in ipſis Regni comitiis definitum, ut id genus tributum ab omnibus *brachiis*, quæ Sicilienſes appellant, ſine diſcrimine præſtaretur, neque inde quiſquam immunis eſſet. Id quidem a Siculis ipſis poſtulatum in donativo anni 1446. id ipſum vero, utpote juri conſonum, expreſſim juſſit Alfonſus ſolemni ſuo *placet in capit.* 503. Hoc ipſum in poſterioribus donativis & a Siculis petitum, & ab Alfonſo eodem modo conceſſum, ut liquet ex donativis anni 1451. & 1457. de quibus *in capit.* 448. *&* *capit.* 542. Utrumque enim per totum Regnum ſolvendum promittitur. Niſi igitur ſe Regni partem eſſe barones negent, & ipſos ratam ſuam conferre per

eam

eam occasionem oportuit. In donativo quidem anno 1452. sub eodem Alfonso barones adlaborarunt, ut ejus immunes essent; ipsorum tamen molimine in ipsis comitiis fortasse detecto, novis conatibus statim obviam itum. Nam ea de re Princeps interpellatus statim edixit, ut in id quoque donativum barones symbolas suas quisque conferrent, ut liquet ex Alfonsi *capit.* 488. Sic enim ibi. *Regia Majestas acceptat hujusmodi oblationem, ad cujus solutionem, consideratis considerandis, decrevit, & declarat, prælatos omnes, & etiam Ecclesiasticas personas, nec non barones, & universitates tam demaniales, quam non demaniales, nemine excepto, teneri, & contribuere debere.* In eo autem Alfonsi scito *declarat* adverti velim. Si enim eam baronum obligationem declarat, non jubet Princeps, vel inde liquet, eam ex ipsa feudorum natura

manare. Proinde somniando vigilabat Siciliensis ille *deputatus*, qui garriebat, publico Siculorum jure barones ad ordinaria donativa non adigi, atque obligationem in prædicto capitulo ipsis impositam ordinarii juris exceptionem fuisse. Vide eumdem Marchionem Simonettam juris publici Siciliensis facem in plena opinione *de æquilibr. oner. in Sicil. pag.* 12. *& sequ.*

VIII. Quæ hactenus exequuti sumus, palam evincunt, perperam quidem, & pessimo publico barones in Sicilia a donativis ordinariis sibi immunitatem asserere. At qui factum quis inquiat, ut contra juris publici rationem, & ipsam feudorum naturam inibi barones eo tributo ferme immunes evaserint. Ejus facinoris causam repetendam putarim ex modo, quo postremis temporibus tributa isthæc cœperunt exigi, longe ab eo diverso, quo in primævo instituto olim exi-

exigebantur. Olim scilicet ab ipsius Alfonsi ævo tributa isthæc colligebantur per *deputatos*, quos appellant, in ipsis Regni comitiis eligi solitos : in ratæ autem æstimatione ab unoquoque præstandæ cum Prorege Magister Justitiarius, & cum Conservatore Rationales aderant, ut liquet ex Alfonsi *capit.*452. De singulis quoque *brachiis* deputati terni eligebantur. Id eo pertinebat, ut ordines omnes se mutuo observarent, atque conjunctim caverent, ne cuiquam gravior conditio inferretur, ut constat ex ejusdem Alfonsi *capit.* 513. Tractu temporis generalis Regni Deputatio in Siciliæ Civitate principe instituta : inter deputatos vix alii præter barones asciti. Ii igitur commilitonibus suis gratificati eo rem deduxerunt, ut ipsis immunitatem a donativis ordinariis procurarint. Ita qui res Siculorum tantisper altius rimatur, ubique fraudes adversus

fiscum, injurias adversus universitates, &, ut verbo rem absolvam, grassantis potentatus vestigia deprehendit.



TITULUS XI.

De relevio, quindenniis, aliisque baronum præstationibus.

UBi liberis, aliisve cognatis in gradu feudali positis successio deferri cœpit, apud omnes ferme Gentes feudorum institutum amplexas invaluit, ut feudalis heres aut definitas in investitura species, aut certam pecuniæ summam domino directo solveret, quo tempore in ejus favorem investituram ipsam confirmari oporteret. Quod autem per eam occasionem aut ex præscripto juris, aut ex investituræ lege, aut ex loci consuetudine præstandum esset, *relevium* est

est appellatum. Id passim receptum docent exemplo laudemii, quod prædii emphyteutici causa solvi jussit Justinianus, si id in alium transferretur. Id ipsum tamen quam recte scriptitent, ego non video. Qui enim in emphyteusim hereditario jure succedit, ad solvendum laudemium non adigitur. Proinde rectius fortasse dixeris, laudemium a relevio diversum esse; in eo tantum utrumque convenire, quod cum relevium, cum laudemium solvi placuerit, ut in concedente directum dominium agnoscatur. Sed & piget in vocabulis immorari, & de minimis non curat Prætor.

II. Jam vero præstatio isthæc relevium est appellata, quia, ut recte observat *in voc. relevare* Ducangius, cum jure primævo feudum titulo potius ususfructus penes possessorem esset, ac per baronis obitum veluti caducum ad fiscum redire oporteret, ea præstatione

feudalis heres feudum relevabat, ac, ne caducum fieret, impediebat. Ejus præstationis nusquam apertus in jure communi feudali locus: ad eam tamen cum Cujacio haud absurde retuleris *tit.* 25. *libr.* 1. *consuet. feud.* Sic enim ibi ex ejus recensione. *Si quis sine filio masculo mortuus fuerit, & reliquerit filiam, filia non habeat beneficium patris, nisi a domino redemerit.* Ut enim infra liquebit, relevium ipsum *redemptionem* etiam appellarunt sequioris ævi scriptores. Sed quiqui mores ea de re in Italia Transtiberina apud Longobardos recepti fuerint, mox ostendemus, relevii solvendi necessitatem ubique fermo Gentium cum ipsis feudis obtinuisse.

III. Porro summæ, aut speciei præstatio relevii causa fieri solita diversa fuit, & alicubi pro diversa investituræ lege aut levissimæ, aut ridiculæ id genus præstationes fuerunt. Ut enim o-

sten-

ſtendit Ducangius *in voc. relevium* aliquando ex inveſtituræ lege ſoleæ ferreæ, aliquando cervus, aliquando accipiter præſtabantur. At illud plane ridiculum, quod producit idem Ducangius *in voc. bombulus*. Ibi enim ob legem in inveſtitura dictam Balduinus quidam *debuit facere in die natalis Domini coram domino Rege unum ſaltum, unum ſuffletum, & unum bombulum*. Id poſt Camdenum idem Ducangius eo pertinere ſcribit, ut tempore condicto memoratus baro *ſemel ſaltaret, buccas inflaret, & crepitum ventris ederet*. Sed in re ſeria neque jocari lubet, & in eo argumento ſexcenta id genus ludicra produci poſſent.

IV. Enimvero licet aliquando relevia aut leviuſcula, aut ludicra fuerint, tuto tamen licet aſſerere, ea apud Francos paſſim fuiſſe graviſſima, & baronum heredes maxime prægravaſſe. Hinc re-

levii divisio in *rationabile*, ejusque, quod *ad misericordiam* appellavit sequior ætas, & quod *relief a mercy* dixerunt Gallicani scriptores. *Rationabile* dictitarunt, quod vel ipsa lege, vel loci consuetudine præfinitum esset. Ita quidem *rationabile* relevium erat, quod ex charta Joannis Regis memoriæ prodit Matthæus Parisius *ann.* 1215. Sic enim ibi pro feudorum diversitate relevii quantitas diverse definitur. *Heres comitis de baronia integra centum libras; heres baronis de baronia integra per centum marcas; heres militis de feudo militis integro per centum solidos ad plus, & qui minus debuerit, minus det secundum antiquam consuetudinem feudorum.* Contra relevium *ad misericordiam* dicebatur, cujus summa ipsius domini arbitrio definiri oportebat, neque lege, vel consuetudine intra certum modum coercebatur. Proinde *relevoison a plai-*

sir

ſir appellatur *in conſuet. Aurelianenſ. artic.* 115. *& ſequ.* Hinc feudi *rachetum* celeberrimi uſus apud ſequioris ævi ſcriptores, quo ab herede ipſum ferme feudi pretium domino offerri oportebat, licet id redigi intra æquitatem ſoleret. Inde autem intelliges celeberrimum illum in jure communi feudali locum *libr.* 1. *tit.* 24. ubi filia patris *feudum redimere* dicitur. Sed videamus, ad quam rationem in ſubactis provinciis apud nos a Nortmannis relevium ſolvi placuerit.

V. Alibi advertimus, eodem ferme tempore, quo in poteſtatem ſuam Anglos redigebat Wilelmus, Neapolitanis, ac Siculis provinciis potitum fuiſſe Robertum, ejuſque fratrem Rogerium. Uterque ut plurimas Nortmanniæ conſuetudines in debellatas provincias intulerunt, ita ex vetuſtiſſimis Nortmannorum moribus relevii neceſſitatem in-
di-

dixere victis. Nam & in Nortmannia barones ad relevii præstationem adactos liquet ex *consuetud. Nortmann. cap.* 34. Ea in re tamen durius apud Anglos Wilelmum; humanius apud Neapolitanos, ac Siculos Robertum, ac Rogerium egisse comperio. Cum per Wilelmi ætatem seu per quorumdam locorum consuetudines, seu ob receptas investituræ formulas in possessoris obitu ipsum ferme feudi pretium domino offerre cogeretur heres, is avidioris ingenii Princeps, & qui baronum vires contemnere impune poterat, feudorum *racbetum* apud Anglos indixit. Heredes igitur ad feudorum redemptionem adegit. Ea in re tandem se baronibus humaniorem præstitit Henricus I. Wilelmo prognatus. Is enim licet exemplo patris militari servitio possessores omnes subesse jusserit, & non minus ad relevium ex feudis, quam ad *sokagium* ex nudis prædiis

diis Anglos adegerit, ut ex Cowello liquet *libr.* 2. *instit. Anglic. tit.* 3. §. 17. & 19. ita tamen edixit in sua charta *de libertat. Angl. Si quis baronum meorum, seu comitum, sive aliorum, qui de me teneat, mortuus fuerit, heres suus non redimet terram suam, sicut faciebat tempore patris mei, sed legitima, & justa relevatione relevabit eam.* Intra quem modum relevii summam redegerit Henricus apud Anglos, licet addiscere ex charta Joannis Regis apud Mattheum Parif. ad *ann.* 1215. supra producta.

VI. Ita quidem Wilelmus, ejusque in Anglia successores de præstatione relevii statuerunt. Enimvero apud Neapolitanos, ac Siculos Robertus, ac Rogerius alias rationes cœptarunt. Licet enim uterque nossent, apud Francos alibi per successorem feuda redimi solere, & jus racheti per Principes usurpa-

pari, alibi totum anni reditum in fiscum inferri, quod advertit Ducangius *in voc. relevium ad misericord.* modestius tamen apud nos agentes semissem tantum redituum, quo anno baro decederet, feudalem heredem persolvere voluerunt. Ita apud Neapolitanos, ac Siculos sub ipsa Nortmannici Principatus auspicia in dimidio fructuum relevium est constitutum. Ex dictis autem facile est intelligere, an recte post Iserniam edixerit Marinus Freccia, relevii solvendi necessitatem *ex improbo more* manasse *de suffeud. libr. 2. auctor. 3. n. 1. & sequ.* Illud tamen lubens ei concesserim *loc. cit. n. 6.* duplex relevium solvi oportere, si eodem anno plures successiones contingant. Ita quidem si pater, & filius eodem anno mortem obierint, duplex relevium solvi oportebit. Cum enim ea præstatio pro investitura, ejusve confirmatione fiat, ubi

eodem anno duo fortasse investituram acceperint, relevii solvendi necessitati neuter se potest eximere. At vero si per annum, & diem neque investituram confirmari curarit feudalis heres, & cessaverit a solutione relevii, rigore juris inspecto, feudo privandus esset *consuet. feudal.* 2. 4. Apud nos tamen ab ea severitate descitum. Per mores enim in Regno receptos obtinuit, ut ea in specie ad duplex tantum relevium adigatur heres. Conf. Frecciam *loc. cit. n.* 7. At vero, quod diximus, relevii summam ad redituum semissem pertingere, id quidem intellige, si feudum in capite ab ipso Principe fuerit acceptum. Si enim de subvassallis agatur, ii ultra decem uncias persolvere relevii nomine compelli nequeunt *constit. post mortem. de mort. baron. nunciand. Reg.* Ibi tamen peccatum librariorum incuria. Adjumento igitur Græci codicis superiori-

bus

bus annis Regiis typis editi mendosum in calce locum per me ita restitue. *Accipiens aliquid, ut est mos, quod quantitatem decem unciarum non excedat.* Ita enim in memorato codice; δεχομενος τι ὡς εστι συνηθες, ὁπερ την ποσοτητα των δεκα ογκιων ουχ ὑπερβηνεται.

VII. Licet autem relevium dimidium fructuum complectatur, æquissime tamen statuere doctores, id, deductis expensis in perceptionem fructuum impendi solitis, & reliquis feudi oneribus intelligi oportere. Ita passim omnes post Capanum *de jur. relev. p.* 1. *quæst.* 13. Id ipsum tamen ad onera coerceri debet, quæ prædiorum feudalium conservatio exposcit. Proinde audiendus baro non est, si in relevii ratione ineunda vitam, & militiam imputandam contendat, seu ea fratribus in feudis de jure Francorum, seu patruo debeatur. Conf. de Marin. ad *Revert. decis.* 371. *n.* 5.

n. 5. Quapropter in Camera Summaria recte judicatum, nil quicquam de relevii summa demendum, si aut in feudo novo pars pretii fratribus natu minoribus sit exolvenda, aut annui reditus sint præstandi, quibus defunctus baro se obligarit ob debitum cum assensu contractum. Vid. Regent. de Curt. *resolut. feudal. c.* 3. *n.* 69. *& sequ.* Dubium tamen videri queat, an saltem in solutione relevii ipsa adhoa sit imputanda, &, an quo anno relevium solvitur, a præstatione adhoæ immunis sit baro. Doctores ferme omnes existimarunt, quo anno relevium solvi oportet, ad adhoæ solutionem successorem non adigendum, ne quis præter æquum duplici prematur onere, & duplici illa præstatione omnes feudi fructus compellatur in fiscum inferre. Conf. Frecciam *de subfeud. libr.* 2. *auctor.* 3. *n.* 26. Ea suborta controversia in Camera summaria,

qui-

quidam distinguendum putabant inter veram adhoam, quæ legis necessitate solvitur, eamque, quæ apud nos hodie præstatur, & quam voluntarii donativi rationem habere dicebant; hujus vero solutionem cum relevio cumulari oportere. Enimvero adhoa apud nos hodie neque nudum donativum censeri debet, &, ut supra ostendimus, præstatur necessitate juris. Proinde recepta hodie sententia in foro est, per annum relevii heredem feudalem a præstatione adhoæ immunem esse oportere. Conf. Frecciam *loc. cit.*

VIII. At quæ de relevio addam, supersunt adhuc. Nam & illud disceptatum hic video, an si qua ob jura, vel prædia relevii, vel adhoæ solutio per baronem producta fuerit, jura, vel prædia controversa feudalia vel censeri, vel præsumi debeant. Aiunt doctores plerique omnes, eoque tradunt *consuet. feud.*

feud. tit. 26. §. 4. Sic enim ibi collector. *Si quis per triginta annos rem aliquam, ut feudum, possedit, & servitium domino exhibuerit, quamvis de ea re non sit investitus, præscriptione tamen triginta annorum se tueri potest.* Enimvero si id admiseris, prorsus actum erit de feudorum incolis, neque ulla erit injuria, quæ eo sub obtentu per barones oppidanis inferri non possit. Quid enim baroni facilius, quam ob prædia, vel jura aliqua relevium, adhoamve solvere; ita vero vel demania universitatum invadere, vel jura in feudo quælibet sibi asserere? Ea in re igitur diverse rationes inierim, prout vel cum fisco, vel cum universitatibus controversia suscepta fuerit. Si enim inter baronem, & fiscum controversia sit instituta, nullus dubito, fisco litem addici oportere. Neque enim baronem inveneris, qui prædium ultro velit servitio

feudali subjicere, quod liberum sit ipsius allodium. In eam igitur sententiam recte judicatum apud Reverterium *decis.* 280. Enimvero si inter baronem, & universitatem ea de re controversia enata fuerit, se baronibus faciles nolim præstare judices, neque, quia fortasse relevii, aut adhoæ præstationes per eos fuerint exhibitæ, prædia, aut jura controversa baronibus adjudicare, si ex cedulari haud appareat, ea illis fuisse concessa. Nimirum, ut alibi advertimus, universitates & in jure Gentium fundatam intentionem habent, prædia demanialia ad se pertinere, & liberæ a servitutibus quibuscumque baroni deberi solitis præsumi debent. Proinde nisi expressus concessionis titulus, productus a barone fuerit, neque demanialia prædia, neque controversa jura ei debent addici. Neque regeras, ea in specie, si præscriptio a barone allegetur, præscriptione sal-

ſaltem tueri ſe poſſe. Ut enim alia prætercam, in ea quidem controverſia aut oppidanorum libertas, aut res univerſitatis periclitantur; neutro autem in articulo baroni præſcriptio prodeſſe poteſt *arg. l. 9. ff. de uſurpat. & uſucap. & l. 2. C. de præſcript. long. tempor. quæ pr. libert.* Locum autem conſuetudinum feudalium quomodo intelligi oporteat, late enarravimus *libr.* 1. *tit.* 6. §. 1. *& ſequ.* actum non lubet agere. Quod igitur polliciti in rubrica ſumus, de quindenniis videamus.

IX. Supra oſtendimus, feudis per Nortmannos in Regnum illatis, in provincias Neapolitanas, ac Siculas relevii quoque inſtitutum invectum. Utriuſque igitur Regni reſpectu relevii quidem ſolvendi neceſſitas in ipſa natura feudi continetur, neque eo quiſquam cenſetur immunis, niſi id onus expreſſim remiſſum in inveſtitura fuerit. Pro-

inde somnians vigilat Marinus Freccia *de suffeud. libr.* 2. *auctor.* 3. *n.*15. *&* *sequ.* ubi ob juris Neapolitani publici ignorantiam enixe adlaborat, ut adprobet, relevii solutionem ad feudi *naturalia*, quæ vocant, non pertinere. Quæ igitur ratio barones reliquos relevii solutioni subjecit, eadem & Ecclesias, si feuda penes eas essent, quindenniis exolvendis adegit. Relevium id genus quindennio quoque in fiscum inferri placuit, quia præter propter quindenis quibusque annis ob baronum obitum relevia exolvi solerent. Ejusmodi autem institutum his ferme initiis apud Neapolitanos invaluisse putem. Rogerius scilicet in provinciis Neapolitanis, ac Siculis ordinandis, ut supra vidimus, exemplo Wilelmi apud Anglos est usus. Wilelmus autem apud Anglos *Episcopatus, & abbatias omnes sub servitute statuit militari inrotulans singulos Episco-*

scopatus, *&* *Abbatias pro voluntate sua*, ut narrat Matthæus Parisius *in Wilelmo conquæst. pag.*83. Ita jussu Rogerii sub ipsa incunabula Nortmannici Principatus, si feuda penes Ecclesias essent, eas & adhoas, & relevia pensitare oportebat. Quæ autem adversus isthæc post Iserniam, & Afflictum oblaterat Antonius de Marinis juris Neapolitani publici pro more sæculi imperitissimus ad *Reverter. decis.*403. *n. 6. & sequ.* sine jactu pulveris facile refelli possint. Falso enim is ponit, relevii solvendi necessitatem ex consuetudine profluxisse, quæ Episcopos, ac prælatos alios non obligarit. Ea enim necessitas non ex consuetudine apud nos promanavit, sed cum ipso feudorum instituto in provincias bello partas per Nortmannos fuit invecta; ut proinde in ipsa natura feudi contineatur. Sed recepta fori sententia ea de re hodie dubitari non sinit;

in eo etiam juris articulo doctis otium fecit Seraphinus Biscardus *in jurid. responf. pro Reg. fisc. sup. præstat. servit.* Ita in Regno Neapolitano hodie Ecclesiæ, & Universitates feuda possidentes quindecimo quoque anno relevium fisco solvunt, quod proinde *quindennium* appellatur. Quod tamen ad universitates, solidum relevium & ipsæ solvunt, ut barones reliqui, si in feudo coemendo, quod fieri solet, certam personam, per quam in possessione sint, nominarint, ut rerum periti norunt.

X. Quæri hic tamen opportune possit, cur quindenis quibusque annis a prælatis Ecclesiarum apud nos relevium exolvi placuerit. Nam haud absurde regerat fortasse quispiam, eam fisco pensitationem centesimo potius quoque anno fieri oportere. Ecclesiæ scilicet eodem jure cum municipiis uti debent. Si municipio legatus sit ususfructus, muni-

nicipes centum annis in usufructu tuendos respondet jurisconsultus; id ita placuisse, quia longævos homines centum annos vivere jus præsumit *l.56. ff. de usufruct.* Cum igitur Ecclesiæ veluti feudorum usufructuariæ videri debeant, & ipsæ centum annis vivere præsumendæ forent; ita centesimo quoque anno ab Ecclesiarum prælatis relevium solvi oporteret. At cum prælatus ipse, non Ecclesia, usumfructum percipiat, & pro fisco produci posset *l.68. ff. ad l. Falcid.* Ibi scilicet & ususfructus intuitu vita hominis præfinitur; ab annis vero triginta ad sexaginta usque tot anni in vita hominis computantur, quot ad sexagesimum desunt. Proinde si quinquaginta annos quis vixisse ponatur, decem annos victurus præsumendus esset. Cum igitur Episcopi, & prælati reliqui plerique omnes eligi soleant post quinquagesimum ætatis annum, ea lege fiscus in-

innixus contendere haud absurde posset, decimo quoque anno relevium ab Ecclesiis pensitandum. Proinde & demptum de jure fisci, & cum prælatis benignius actum, ubi ipsis quindennia generatim indicta. Nunc reliqua raptim subjiciamus, quæ fisco a baronibus præstari oportet.

XI. Supra ostendimus, per indulgentiam quidem Alfonsi I. barones immunes adhoæ fuisse factos. Id privilegium tamen, utpote primævo feudorum instituto contrarium, non minus a Ferdinando Catholico, quam a Carolo V. ita coercitum, ut barones adhoam pensitare adigerentur, ubi bellum ingrueret, ut liquet ex *grat. & privil. Civit. c.* 8. *pag. mih.* 88. *a terg.* Supra quoque monuimus, adhoam, quæ hodie solvitur, veram adhoam non esse, eamque donativi potius necessarii rationem habere; donativum id genus adhoam

hoam dictitari, quia ad rationem adhoæ ab initio pensitatum; id ipsum pro ratione temporum in summa longe modica constitutum, præsertim si cum hodiernis feudorum reditibus conferatur. Specierum enim pretiis in immensum auctis, id donativum, si veræ adhoæ responderet, ad summam pertingeret longe majorem, & quæ fortasse vel decuplo major esset. Proinde, inspecto memorato Ferdinandi, & Caroli V. privilegio, per belli tempus summas quidem maximas a baronibus solvi oporteret, si veræ adhoæ præstationem exolverent. Omnium enim feudalium in Regno redituum semissem excederent. Enimvero æquo temperamento usi Neapolitani Principes in prædicti donativi veluti hostimentum ne per belli quidem occasionem veram adhoam exegerunt. Cum tamen, si bellum immineat, barones equis, & armis instructos signa

Prin-

Principis ſequi oporteat, ingruente bello, equum, quem *montatum* appellant, a baronibus præſtari placuit. Occaſio vocabuli inde enata, quia præter equum eques etiam bello inſtructus præſtandus eſset. Id Principi ſubſidium bis præſtitum ego memini, primo per belli Velitrenſis occaſionem, deinde inter hodiernos concuſſi orbis motus ſub Optimo Principum Ferdinando. Per Velitrenſe bellum equi montati ita inita eſt ratio, ut ex quibuſque ducatis trecenis, quos occaſione relevii ſolvi oportebat, octoginta eo nomine ſolverentur. Ita ſub feliciſſimo Ferdinando eadem ferme ſumma perſoluta, licet, ob mutata ſpecierum pretia quantitate hodie releviorum aucta, longe majorem eſse oportuiſset, ſi ad hodierni relevii rationem is equus præſtitus per barones eſset.

XII. Denique inter baronum præſtationes ex Regni Neapolitani inſtitutis etiam

etiam *jus tapeti*, quod vocant, referri debet. Id autem fisco præstandum est hodie, quo tempore ob confirmationem investituræ relevium ei solvitur. Ex moribus vero receptis obtinuit, ut ex centenis singulis, quæ relevii nomine inferuntur in fiscum, ducati tredecim, & asses quinque supra triginta tapeti causa pendantur, licet olim quantitatem longe minorem præstatio isthæc complecteretur, ut liquet ex ritu R. Cameræ sub titulo *de offic. M. Camerar.* Jus istud in M. Camerarii emolumentum cedebat olim ad ejus fortasse operam rependendam, cum in homagii promissione tapetum ante pedes Principis ipse sternebat, ut liquet ex R. Cameræ prædicto ritu. Ea solemnitas tractu temporis exolevit, & in homagii renovatione alio ritu Regi fidelitas promitti cœpit. Proinde, Magni Camerarii ea in re opera amplius non intercedente,

ad

ad prædictam rationem jus tapeti hodie ipsi Principi persolvi solet.



TITULUS XII.

De relevio ex jure Siculorum novissimo.

CUm sub Nortmannis, ac Suevis provinciæ Neapolitanæ, ac Siculæ sub eodem Principe iisdem legibus uterentur, quæ supra de relevio commentati sumus, non minus apud Neapolitanos, quam Siculos perinde olim obtinuerunt. Sub ipsa autem Principatus Aragonensis initia a veteri ea de re jure nusquam apud Siculos recessum comperio. Per ea igitur tempora in Sicilia quoque ob feuda quaternata a Principe accepta relevii nomine semissem redituum ab heredibus præstari oportebat.

Eo

Eo me deducit Rex Fridericus, qui Aragonensium primus legem apud Siculos de relevio scripsit. Is enim eos tantum coercet, qui per simulatos contractus relevio fiscum fraudare satagerent, de ejus tamen quantitate veteribus moribus apud Siculos præstituta nil quicquam innovat *capit.* 110. Perperam igitur scribit Franciscus Testa ad Regis Martini *capit.* 55. apud Sicilienses olim ultra decem auri uncias relevium non pertigisse; perperam etiam, ut eam sententiam tueatur, Friderici legem producit *in constitut. post mortem. de mort. baron. nunciand. Imperat.* Neque enim ibi de feudis quaternatis a Principe concedi solitis Fridericus cavet, sed de illis tantum, quæ ab ipsis baronibus concessa forent. Et hoc igitur veluti e tripode effatum Testæ extorsit studium illud immane, quo is baronum demerendorum gratia abripiebatur. Sed nolo quid

gra-

gravius in eum dicere; pax mihi cum mortuis. Stet tantum illud, ad Regem Martinum usque ratione relevii barones Neapolitanos inter, ac Siculos nil quicquam interfuisse.

II. Jam vero, ut in aliis juris articulis Principibus adrependo privilegia adversus leges expressere Siculi, ita & relevii imminuendi causa sibi non defuerunt. Nam inter res adversas Martini Regis infirmitate ejus abusi rem eo deduci curarunt, ut ingentes illæ summæ relevii nomine ad ejus Principatum usque in fiscum inferri solitæ ad quantitatem longe minimam redigerentur, ut recte rationes init doctissimus Marchio Simonetta in plena opinione sua *de æquilibr. oner. in Sicil. pag.* 34. Ibi enim computatis, quæ ex releviis, ac decima per decennium apud Siculos in fiscum redirent, vix uncias 3759. quotannis in eum inferri docet. Contra apud

apud Neapolitanos ducatorum ferme centum millia ex solis releviis singulis annis fiscus percipit, ut rerum periti nôrunt. Quod autem ad Martini Regis de relevio legem, in ea distinctum, num liberi, & fratres, eorumve filii primo feudi quæsitore prognati, an alii cognati, remotiores successuri forent. In priori specie si in tria, aut plura feuda succedendum esset, decem argenti marcas in fiscum inferri placuit; ob singula autem oppida marcas argenti quatuor; ob feuda sine incolis marcas argenti duas; ob minuscularia vero feuda, quæ *plana*, *& domus*, *seu membra curtis* a Martino dicuntur, marcam argenti unam. In altera vero specie si successores exorti non forent ex ejus stipite, in cujus hereditate feudum esse diceretur, Rex Martinus jus vetus servari jussit, ac dimidium redituum feudalium fisco persolvi *capit.* 55. Argenti

ti marcam duabus unciis, seu Siciliensibus scutis quinque æstimari scriptores Siculi passim monent, idque advertit ipse Franciscus Testa ad *d. capit.* 55. Numisma tamen id genus numquam in Sicilia, neque, quod sciam, alibi cusum. Quapropter marca apud Siculos imaginaria moneta fuit ad supputationis, & calculi commoditatem efficta. Ea igitur ab uncia Neapolitana diversa non fuit, quæ & apud nos imaginaria ab initio erat, neque olim extabat. Per eam autem Martini legem facile intelligere est, quanta fisco calamitas illata fuerit. Pone enim, apud Siculos filium in feudum succedere, unde unciarum decem millia redeant, eum non ultra ducatos viginti quatuor in fiscum inferre oportebit. Macte liberalitate tua Martine, atque ob tantum in Principatum facinus terram tibi levem barones Siculi apprecentur.

III.

III. At vero, prædicta posita Martini lege, consonum sane videbatur, ut semel eis delato feudo, qui primo ejus quæsitore prognati non forent, eorum liberi & ipsi privilegiarii essent, neque fructuum dimidium relevii nomine cogerentur exolvere. Recte igitur Rex Joannes Siculis indulsit, ut successor quidem in feudum ultimum possessorem ex transverso contingens semissem redituum relevii causa in fiscum inferret; verum, ad cognatum e latere semel delato feudo, ejus porro liberi relevium præstarent non diversum ab eo, quod alii primo feudi quæsitore progeniti præstare solerent *capit.66.* Quid de feudis, quæ in francum allodium concessa fuerint? Feuda ita concessa servitio militari non subsunt. Proinde haud inepte quis dicat, eorum respectu successores quoscumque relevium præstare non oportere. Enimvero relevium & a militari

servitio diversum est, & ab eo diversam rationem habet. Nam, ut supra quidem ostendimus, relevium ob renovationem investituræ solvitur. Si igitur feudum jure franci allodii sit concessum, id servitio quidem militari non subest, a relevio tamen immune censeri non oportebit. Recte igitur idem Rex Joannes edixit, ut in ejusmodi concessionibus relevio successor tandem immunis esset, *si simpliciter allodiata alienari contingeret capit.* 67.



TI-

TITULUS XIII.

De juribus baronum intra feudi territorium.

JUra baronum intra feudi territorium bifariam dispesci queant. Quædam enim personas feudum incolentes respiciunt; quædam rebus ipsis feudi titulo acceptis hærere creduntur. Prioris sunt generis, quæ personæ respectu oppidani præstant. Ejusmodi sunt angariæ, parangariæ, & si quæ alia personarum intuitu ab ipsis extorqueri solent. Alterius sunt generis onera, quibus ob res ipsas feudi titulo concedi solitas subsunt feudorum incolæ. Ejusmodi sunt panis excoctio in baronum furnis, frumenti terendi necessitas in eorum pistrinis, olei in ipsorum trapetis expressio, esculenta, poculenta in eorum tabernis coemen-

di obligatio, & si quæ alia commoda quidem baronum augent, naturalem tamen oppidanorum libertatem imminuunt. Jura prioris generis *personalia* recte dixeris; jura alterius generis *realia* dici solent. Ut apte igitur destinata componam, primo de juribus personalibus, deinde de *realibus*, quæ appellant, sermonem instituam.

II. Quod igitur ad baronum jura in ipsas oppidanorum personas, eo potissimum pertinet præstatio, quam *angariarum*, ac *parangariarum* appellant. Angariarum, & parangariarum necessitas memoratur etiam in jure civili sententia tamen longe ab ea diversa, qua in jure patrio, & apud pragmaticos usurpari solet. Angariæ scilicet in jure civili sunt bovum protela, seu tardigradæ, & clabularis vehiculatio, quam ad publicas evectiones provinciales præstare adigebantur, ut late ostendit Jacobus

Gothofredus ad *l.* 4. *C. Theodos. de curs. publ.* Angariæ autem dicebantur, si boves agerentur per vias publicas, seu consulares, per quas dispositus publicus cursus foret: parangariæ appellabantur, si per vias quidem publicas agerentur boves, per eas tamen dispositus publicus cursus haud esset. Vide Bergierium *de public. & militar. Imper. Roman. viis.* Angariarum autem appellatione non clabularis tantum vehiculatio, sed & equorum præstatio ad cursum publicum in jure civili continetur, ut passim liquet ex legibus sub titulo *de curs. publ.* Hinc sub Principibus celeberrimi usus literæ illæ tractoriæ, quibus eorum jussu ad iter faciendum non solum equi, sed & mansiones, & viatica certis personis præstari jubebantur, ut liquet ex *l. unic. C. de tractor. & stativ.* Cum vero in angariarum præstatione ultra modum pro-

vinciales vexari solerent, inde factum, ut in monumentis sequioris ævi angariarum, ac parangariarum vocabulo continerentur onera præter leges imponi solita, quibus misere quidam affictabantur. Conf. Ducang. *in voc. angariæ*. Ita, feudorum instituto recepto, oppidani angariis, ac parangariis subesse dicuntur, si baronibus certis anni diebus operas suas præstare eos oporteat. Medii autem ævi scriptores angarias appellarunt, seu baronum, seu ipsorum angariorum sumptibus operæ præstandæ forent. Ita sane Ranfridus jurisconsultus, qui, ut ipse testatur, scriptitabat anno 1215. *Angarii sunt, qui servitium faciunt propriis expensis, puta tot operas in septimana, & sic vulgariter dicuntur in multis partibus angarii: & tales villani, qui propriis sumptibus faciunt operas, dicuntur angarii*. Enimvero post Iserniam ad *constit. prosequentes*.

tes.

tes. de pugn. ſublat. angarios pragmatici dictitant, qui baronum ſumptibus ad operas adiguntur. Parangarios vocant, qui ſumptibus ſuis baroni operas præſtare debent. Sed videamus, quibus initiis in provinciis Neapolitanis, ac Siculis a feudorum incolis onera iſthæc barones exigere cœperint, & an, ut ſunt res hodie, ea ab oppidanis recte petantur.

III. Ea in re primum omnium injurios adverſus barones illos ego crediderim, qui onera iſthæc a ſubdolis eorum artibus unice repetenda cenſent. Suo potentatu quidem aliquando barones abuſi feudorum incolis eam conditionem impoſuerunt; in ipſis tamen feudorum inveſtituris olim jura iſthæc haud infrequenter ipſi Principes ſunt elargiti. Nimirum angarios, parangarios inter, & adſcriptitios haud multum intereſt. Totius inter utroſque dif-

ferentiæ ratio eo redit, quod hi quidem perpetuas operas seu feudis, seu allodiis præstare adigantur; illi & feudis tantum, & certis tantum diebus operas præstare debent sumptibus aut baronum, aut suis. Hinc angarios cum adscriptitiis conjungit Fridericus II. *in constit. prosequentes. de pugn. sublat.* Perperam enim ibi Latina exemplaria passim exhibent *angarius, vel villicus*. Nam rectius in Græco codice μηδεις αγγαριος, η εναπογραφος, *angarius, vel adscriptitius*. Si hinc discedas, æqua ferme erat eorum conditio, & utrique seu allodio, seu feudo originario jure tenebantur. Utrosque jure belli in eam conditionem redegere Principes; utrosque etiam militibus seu cum feudis, seu cum allodiis concesserunt. Si quid igitur ab initio in eo instituto peccatum, non per barones quidem, sed per Principes ipsos peccatum, qui ei juri

vi-

victos ſubeſſe juſſerunt. Scilicet apud Neapolitanos, ac Siculos, Nortmannorum præſertim valeſcente potentia, frequentiſſima fuere bella. Iis autem depugnatis, ſi qui perduelles, aut infeſtiores victori fuiſſent, adſcriptitii, angarii, parangarii facti ſunt jure belli. In eam vero conditionem iis redactis, & injurias ſibi illatas ulciſcebantur Nortmanni Principes, & militibus ſuis gratificabantur. Id ipſum *pro anima judicantes* in Eccleſiarum favorem frequentiſſime fecere Principes. Ita quidem Rogerius anno 1102. familias duodecim ſupra centum, quæ cum proditore Sergio in obſidione Capuæ adverſus ſe conjuraverant, monaſterio Divi Stephani apud Bruttios tradidit *in perpetuas ſervitutes*, *& villanigia* diplomate ſuo, quod in actis inter univerſitatem Serræ, & ejuſdem monaſterii fratres extat *fol.* 336. *& ſequ.* Singulare autem in ea do-

donatione eſt, quod reorum quoque liberi in infinitum eidem conditioni ſubeſſe jubentur. Ab adſcriptiis igitur, angariis, parangariis barones operas exigentes injurii cenſeri olim non debuerunt. Haud aliunde autem repetenda ego crediderim tot alia baronum jura ſæpiuſcule ſat propudioſa, quæ proinde abolevit poſterior ætas rectius inſtituta. Sed videamus, an angariarum, ac parangariarum obſequium recte barones hodie ſibi vindicent.

IV. Primum omnium ſatis conſtat; angariis, ac parangariis mancipare feudorum incolas, pœnæ atrociſſimæ inſtar eſſe; eamdem etiam a ſolo Principe irrogari oportere; ab eo denique, ejuſque in Regno ſucceſſore remitti poſſe. Indixerint igitur quibuſdam ob crimina Nortmanni Principes angariarum, ac parangariarum onera; eadem tamen evaneſcere ſtatim oportuit, ex quo Neapo-

politani, ac Siculi Reges humaniorem mentem induentes eam servitutis imaginem abrogarunt. Id ipsum autem aio factum per Fridericum II. *constit. quia frequenter. de hominib. non tenend. rat. terr. vel feud.* Ibi quidem, ne in se baronum invidiam provocaret, onera isthæc aperte prohibere non ausus est Princeps; causa tamen, quæ in constitutione interseritur, ejus mentem aperte indicat, & ea in posterum exigi vetat. Sic enim ibi Fridericus, *Nos enim, qui sumus domini personarum, absque nostræ serenitatis assensu personas servitiis perpetuis nolumus obligari.* Sed verba constitutionis exhibere præstat ex Græco codice: *ημεις γαρ ὁιτινες εσμεν δεσποται των προσωπων, χωρις συναινεσεως της ημετερας αυθεντιας, ου θελομεν τα προσωπα διηνεκεσι δουλειαις ενοχοποιεισθαι.* Male enim in Latinos codices glossema *conditionibus* irrepsit sen-

ten-

tentia aut nulla, aut quæ certe lectorem turbat. Recte igitur Afflictus ad *d. constitut. n.* 17. hæc adnotat. *Dominus Rex est dominus omnium personarum habentium domicilium in Regno, & ideo nullus potest obligare personam suam ad servitium perpetuum sine Regio assensu.* Id usque adeo verum Afflicto visum, ut, si forte per conventionem angariæ, ac parangariæ baronibus ab oppidanis promissæ fuerint, ne ea quidem in specie id genus operas præstandas putet, quia promissio isthæc per metum extorta præsumi debet *ibid. n.* 14. Eo accedit, quod, cum in prædicta constitutione Fridericus ejusmodi conventiones omnino vetuerit, licet sine metu sint initæ, tamquam adversus leges interpositæ, irritæ censeri debeant. Sed & si fingas, ejusmodi conventione primos paciscentes obstringi, ea non usque adeo valere potest, ut eorum libe-

beros obliget, qui obligationis tempore in rerum natura non fuerint. Stet illud igitur, angarias, parangarias & juri Neapolitano, ac Siculo publico adversari, easque ne conventione quidem oppidanorum ratas censeri oportere.

V. Hactenus tamen expositis haud inepte quispiam possit opponere carmen illud passim in investituris adhiberi solitum, quo cum angariis, & parangariis feudum concedi dicitur. Verum ipse Carolus V. edixit, eam formulam *de antiqua consuetudine*, *&* *stilo* investituris appositam videri oportere; feudis ita concessis, non novas quidem angarias, ac parangarias, sed eas tantum concessas intelligi, quæ concessionis tempore aut *justo titulo*, aut *legitima præscriptione* feudis quæsitæ jam forent *pragm. 16. de baron.* Enimvero justus angariarum, ac parangariarum titulus proferri nequit. Is enim non posset a-

liun-

liunde repeti, quam ex concessione Principis, qui criminis causa maleficos ei conditioni subjiceret. In angariis etiam, ac parangariis legitima præscriptio per barones produci non potest: neque enim capita libera præscriptioni subsunt. Ea vero in re ne præscriptionis quidem *immemorabilis*, quam appellant, rationem habendam putarim. Sicubi enim immemorabilis ea de re præscriptio allegari queat, ea non præscriptio quidem, sed vetustas abusus est appellanda; ut proinde ejusmodi onera vi potius, ac metu per barones extorta videri debeant. Vid. Rovit. ad *d. pragm.* 16. *de baron.* ac de Marin. *resolut. jur.* 1. 117. Eo accedit, quod jura isthæc sunt adepti barones vi veluti magistratus abusi; ut proinde eo nomine non in possessione tuendi sint quidem, sed potius ut vis publicæ reos puniri eos oporteat argumento *l. ult. ff. ad leg. Jul. de vi publ.*

Sed

Sed eximia felicitate temporum apud Neapolitanos, ac Siculos ob angarias, ac parangarias sine sui ludibrio vix quisquam egerit. Proinde Domitiana hodie quæstio videri debet, an feudorum incolæ extra fines feudi baroni operas præstare adigantur. Conf. Laganar. ad *Rovit. pragm. 16. de feud.* Quid de Paschali, Natali munere? Ea quoque præstatio & feudorum incolas prægravabat, & a baronibus in Regno olim passim extorquebatur. Proinde providentissimus Ferdinandus divalibus literis id quoque genus extorsiones vetuit quinto idus Jul. ann. 1772. Sed, his omissis, de juribus, quæ *realia* appellitant, videamus, & quæ ob res ipsas feudi titulo acceptas sibi barones solent asserere.

VI. Quod ad jura baronum realia, eo potissimum referri queant, quæ *prohibitoria*, seu *exclusoria* haud inepte dixeris. Ejusmodi est panis excoquendi

di in baronum furnis, frumenti terendi necessitas in eorum pistrinis, olei in ipsorum trapetis expressio, esculenta, poculenta in eorum tabernis coemendi obligatio, & quæ id genus alia naturalem oppidanorum libertatem afficiunt. Ea de re oppidanos, & barones inter non minus apud Neapolitanos, quam Siculos frequentissimæ exarsere lites. Operæ igitur pretium facturi videbimur, si accuratius investigemus, quid ea de re cum veteri, cum novissimo jure in utroque Regno sit cautum.

VII. Inter mali moris exempla, quæ ob feudale institutum passim olim increbuerunt, illud potissimum erat, quod feudorum incolæ cum humanitatis injuria neque pro arbitrio, ubi vellent, panem possent excoquere, atque ad frumentum terendum, exprimendumve oleum ad baronum pistrina, aut trapeta itare adigerentur. Hinc *furnagium*, seu

fur-

furnaticum apud sequioris ævi scriptores præstatio dictitatur, quam seu in pane, seu in pecunia eo nomine oppidani cogebantur exolvere. Conf. Ducang. *in præd. voc.* Ita quidem in tabulario S. Germani Pratensis. *Omnes homines de dicto burgo S. Germani bannarii ad furnum nostrum, seu furna nostra, dum tamen furnum, & furnarium competentes habeamus, per bannum coquere, & furnagia, prout hactenus consueverunt, nobis solvere tenebuntur.* Indidem & apud sequioris ævi scriptores *secta ad molendinum* pro servitio usurpata, quod frumento in eorum pistrinis molendo baronibus oppidani præstabant. Ita quidem in Monastico Anglicano ex Ducangio in ea voce. *Dedit molendinum cum secta, & molitura totius villæ suæ.* Exinde qui ei servituti suberant, *sectatores* sunt appellati. Vide eumdem Ducang. *in voc. secta.*

VIII. Atque hi quidem mores passim recepti apud Gentes, apud quas durius agentes barbari eam servitutis imaginem instituerunt, ac victos glebæ addictos jusserunt esse. Enimvero nil quicquam tale apud Neapolitanos, ac Siculos cœptavere Nortmanni. Nam novum ipsorum Imperium devictarum Gentium benevolentia firmaturi id genus jura libertati contraria sunt aversati. Paucis igitur exceptis, qui infestiores victori fuissent, reliquis neque eam servitutis imaginem imposuerunt, ac feudorum incolis jura sunt elargiti non diversa ab iis, qui Regii demanii civitates inhabitarent. Sub Nortmannis autem jurium, quæ *probibitoria* diximus, vix vestigium invenire licet in civitatibus ab iis possessis, qui ipsi Principi cognatione devincti forent, aut in prima illa Nortmannorum aristocratia jure summæ potestatis oppidis quibusdam potiti fue-

fuerant. At vero ubi, Nortmannorum deficiente virili ſtirpe, utrumque Regnum Friderico ceſſit, ac ſub nova Regnatrici familia baronum omnium æquata conditio fuit, ipſa ratio Principatus Friderico ſuaſit, ut æqua eſſet conditio civium. Ita non minus angariis, ac parangariis, quam juribus illis prohibitoriis feudorum incolas vexari vetuit *conſtit. quia frequenter, de homin. non tenend. ration. terr. vel feud.* Sed & ante Fridericum ipſe fortaſſe avus ejus Rogerius, rebus pacatis, jura iſthæc prohibuiſſe videtur. Eo me deducit Romualdus Salernitanus. Sic enim is ſcribit. *Rex Rogerius perfectæ pacis tranquillitate potitus pro componenda pace Camerarios, & juſtitiarios per totam terram inſtituit, malas conſuetudines de medio abſtulit*. Quæ enim pejores conſuetudines præ iis, quæ jura prohibitoria induxerant, effingi queant? De conſuetu-

 di-

dinibus autem id genus per dynaſtas fortaſſe Nortmannos in regiones Neapolitanas invectas liquet ex privilegio ipſius Rogerii Beneventanis conceſſo ann. 1137. apud Falcon. Benev. *Condonamus vobis ea omnia, quæ nos, & prædeceſſores noſtri Nortmanni circa Beneventanam Civitatem habuerunt, fidantias ſubſcriptas, videlicet denariorum reditus, ſalutes, angarias, terraticum, herbaticum, carnaticum, Kalendaticum, vinum, olivas, relevum, poſtremo omnes alias exactiones.*

IX. His igitur præſtitutis, ita ego rationes inierim, primos illos Nortmannorum dynaſtas, cum nondum adoleverat Principatus unius, jura pro arbitrio prohibitoria in oppidis, quibus imperitabant, inſtituiſſe; unius tandem apud nos firmata potentia, ſeu per Fridericum, ſeu per Rogerium ipſum ea exerceri vetitum. At quibus Principibus,

qua

qua occasione, quis inquiat, apud nostrates jura isthæc rursus inoleverunt? Ea in re doctores discordes invenire licet. Sunt, qui Andegavenses, sunt, qui Aragonios eorum auctores agnoscunt ea potissimum ratione, quia in ipsorum diplomatis illa aut memorantur, aut concessa inveniuntur. Quod tamen ad Andegavenses, in Regiæ Cameræ tabulario nusquam, quod sciam, per eos concessio facta extat, in qua cum juribus prohibitoriis feuda concessa dicantur. Ejus rei sponsorem appello Josephum Riccardum Magnæ Curiæ judicem, ac rei diplomaticæ peritissimum. Is enim ea de re a me pluries rogatus diploma nullum invenire potuit sub Andegavensibus scriptum, in quo id genus jura concessa legantur. Ejusmodi concessiones sub Aragonensibus primum invenire licet. Sed & nemo mihi persuaserit, Aragonensium quempiam adeo

adversus humanitatem obduruisse, ut ejusmodi oneribus oppidanos nil tale meritos subesse jusserit. Aliunde igitur eorum occasionem repetendam existimarim.

X. Eo ut perveniam, adverti quidem oportet, procerum Nortmannorum exemplo, qui jure summi imperii apud nos utebantur olim, paulatim quoque barones jura isthæc in feudis sine concessione Principum usurpasse. Facile per barones eo perventum partim vi potentatus, partim ob res in Regno turbatiores, partim ob Regum diuturnam absentiam. Interea ob heredum in gradu feudali defectum ad fiscum frequentissime feuda redibant: jura illa prohibitoria per vetustissimos illos dynastas introducta legitima credita. Ita, insciis ferme Principibus, in novis investituris cum feudis ea concessa. His initiis sub Aragonensibus tralatitia formula inve-

vestituræ fuit *cum angariis*, *parangariis*, *furnis*, *molendinis*, *trapetis*, *hosteriis*, & id genus aliis. Id autem investituræ carmen & hodie ordinarium est, & ab ipsis Aragonensium ævo ordinarii juris erat. Sed videamus, an ob eam in investitura formulam jura prohibitoria sibi possint hodie tueri barones, quidve ea de re seu jure scripto, seu receptis moribus in utroque Regno servatum oporteat.

XI. Ubi sub Aragonensibus prædicta in investitura formula recepta fuit, audentiores facti barones prohibitoriis juribus sibi afferendis vexabant feudorum incolas. Ita inter Principum præsertim absentiam Regni universitates afflictæ, earumque gemitus Caroli V. Neapolitanas provincias invisentis providentiam exciverunt ann. 1536. Per id igitur temporis Princeps, cum resciviffet, ob prædictum investituræ carmen sibi

barones afferere jus prohibitorium furni, trapeti, piftrini, cauponæ, & aliorum id genus, quia feuda fibi conceffa obtendebant *cum angariis, parangariis, furnis, trapetis, hofteriis*, eam formulam *de antiqua confuetudine, & ftilo* in inveftituris appofitam videri pronunciavit; inde igitur prædicta jura fruftra vindicare barones; fub ejufmodi claufula ea conceffa jura tantum intelligi, quæ *tempore conceffionum aut jufto titulo, aut legitima præfcriptione* feudis ineffent *pragm. 16. de baron.* Id ipfum expreffius caverat idem Princeps *pragm.* 14. *eod.* Lubet ob rei celebritatem eam pragmaticam hic exhibere. Sic enim ibi. *Volumus igitur, atque mandamus omnibus baronibus, & aliis utilibus dominis, ut libere permittant, vaffallos fuos in ipforum vaffallorum, aut aliorumlibet furnis panem coquere, & fimiliter poffint granum ad molendum,*

dum, & olivas terendas ad quorumlibet molendina, vel trapetos conducere, & possint in domibus propriis, vel aliorum hosterias, aut tabernas facere, & tenere, hospites recipere, etiam quod dominorum hosteriæ non sint plenæ, nec possint præfati aliqualiter impediri, seu prohiberi, exceptis illis, qui furnos, molendina, trapetos, tabernas, & hosterias, seu hospitia cum hujusmodi jure probibendi vassallos particulari privilegio, aut legitima præscriptione, vel consuetudine legitime præscipta habent. Utraque Caroli V. lex universitatum propugnaculum, ac murus veluti aheneus adversus injurias per barones inferri solitas videri debet. De recta igitur earum intelligentia pro instituto videndum.

XII. In prædictis igitur pragmaticis Carolus V. in Regno Neapolitano barones jura prohibitoria exercere vetat,

tat, iis exceptis, qui *aut justo titulo, & singulari privilegio cum jure prohibendi, aut legitima præscriptione, vel consuetudine legitime præscripta* ea sibi quæsissent. De justo titulo nulla est dubitatio; neque ego intercesserim, quominus ejusmodi juribus barones utantur, si ea expressim a Principe, *cum jure prohibendi* scilicet, concessa fuerint. Quin id ipsum admiserim, si non ex concessione Principis, sed ex transactione, aut conventione cum oppidanis inita titulum baro repetat, modo transactio, aut conventio juxta Regni leges sit expedita, & Regis assensu confirmata fuerit. Quod tamen ad præscriptionem, aut consuetudinem, recte addubites, quæ Principis sententia fuerit, & an ejus obtentu barones id genus jura vindicare possint. Nimirum in ejusmodi juribus præscriptionem, aut consuetudinem Princeps baronibus prodesse jubet, at non qualem-

lemqualem, sed *legitimam*, *legitimeque præscriptam*. Prædictis legibus latis, e Regno Carolum V. abesse oportebat, neque pro ratione temporum usui ei erat baronum adversus se odium. Id præcaveri non poterat, si aperte Princeps injusta pronunciasset jura isthæc consuetudine, vel præscriptione quæsita. Occultis igitur veluti cuniculis barones impetens bona verba, vi adempta, eis ostentavit. Nimirum probe is norat, id genus jura neque consuetudine, neque præscriptione per barones acquiri posse. Ita in speciem illis concessit, ut ea exercere possent, si consuetudine, vel præscriptione quæsita forent. Cum tamen addiderit, *præscriptionem legitimam*, *consuetudinem legitime præscriptam* esse oportere, re ipsa neque præscriptionem, neque consuetudinem baronibus prodesse voluit. Videbat enim, ea in re neque legitimam præscriptionem, neque consue-

ſuetudinem legitime præſcriptam per barones oſtendi poſſe. Iis igitur offerens pro Junone nubem & vana illis vocabula venditavit, & oppidanorum indemnitati conſuluit.

XIII. His ita ſe habentibus, facile decerni queat, an ex memoratis Caroli V. legibus conſuetudinis, ac præſcriptionis obtentu jura prohibitoria ſibi barones tueri poſſint. Exploratum eſt ſcilicet, præſcriptionem non ſola temporis prærogativa conſiſtere; eam legitimam videri non oportere, niſi & juſtus titulus adſit, & bona fides; jus etiam controverſum ita ſit comparatum, ut præſcriptionem admittat. Conf. *prælect. libr.* 2. *tit.* 6. §. 8. Quod ad juſtum titulum, is falſus eſſe non debet. Neque pro empto igitur, neque pro permutato, aliove quo titulo uſucapiundi jus erit, ſi neque emptio, neque permutatio, neque alia acquirendi cauſa in-

intercesserit *l.* 27. *ff. de usucap. & usurpat.* Quod ad bonam fidem, ea ex receptis in Regno moribus juxta juris Pontificii regulas æstimari debet, quod bonam fidem continuatam in præscriptione requirit *c.* 5. *&* 10. *X. de præscript.* Denique jura isthæc ita sunt comparata, ut præscriptionem omnino respuant. Nam & naturalem oppidanorum libertatem afficiunt, & Friderici constitutioni adversantur, qua vetitum supra vidimus, ne capita libera servitiis perpetuis quoque modo se mancipent *const. quia frequenter. de homin. non tenend. rat. terr. vel feud.* Sed & si ponas, in controversis juribus præscriptionem admitti non prohiberi, alio quoque respectu ea baronibus prodesse non potest. Per eam scilicet de juribus in oppidanorum personas præscribendis agitur. Atqui, ut recte advertebat clarissimus Marchio Simonetta in plena opinio-

nione sua ad Siciliæ Proregem ea de re scripta, si quid juris personalis adversus parentes sit præscriptione quæsitum, adversus liberos, qui præscriptionis tempore in rerum natura non erant, usurpari non potest. Quid, quod idem observat, jurium id genus præscriptionem tacito civium pacto consistere oporteret? Atqui, inspectis primævis Regni legibus, ne expressa quidem eorum conventione ea promitti licet, nisi assensu Principis conventio confirmata fuerit *d. constit. quia frequenter*.

XIV. Ex dictis hactenus aperte liquet, jura prohibitoria per barones neque præscriptione acquiri posse, eorumque possessione eis interdicendum nullo discrimine, seu ante, seu post Caroli V. pragmaticam 14. *de feud.* præscripta dicantur. Nam contra rationem juris quidam inter pragmaticos censuerunt post Carolum Antonium de Rosa *in prax.*

*civil. c.*10. *n.* 80. in jurium id genus possessione baronem tuendum, si ea ante Carolum V. præscripta probentur. Proinde consonant cum veteribus Regni legibus divales literæ felicissimi Ferdinandi quinto Kal. Januar. ann. 1766. quibus cautum, ut, quoquo oppidani vellent, frumentum terendum deferre possent, neque in pistrino baronum id molere eos cogi jus esset. Recte etiam, hodierna fori praxi sanctius instituta, se faciles non præstant judices, ut barones jura prohibitoria obtendentes in possessione tueantur, nisi ea expressim, *cum jure* scilicet *prohibendi*, in investitura concessa fortasse fuerint. Sed & in foro eo jure utimur, ut in expressa concessione cum feudorum incolis humanius quidem agatur. In ejusmodi enim concessione mercimonii quidem causa jura prohibitoria per oppidanos usurpari nequeunt, ipsis tamen usu proprio non inter-

terdicitur, nisi & de eo usu inhibendo expressim in investitura facta sit mentio, ut rerum periti norunt.

XV. Quod ad Siculos, quamdiu ab initio olim eidem cum Neapolitanis Principi paruerunt, eorum conditio in juribus prohibitoriis cum nostratibus aut aequa fuit, aut fortasse melior. Ubi enim Sicilia per Robertum, ejusque fratrem Rogerium est debellata, unius apud Nortmannos potentia firmata jam erat, &, quod usu in regionibus Neapolitanis venerat, sub Nortmannici Principatus incunabula nulla in Sicilia aristocratiae imago, neque usquam ibi dynastae, qui injustis oneribus oppidanos attererent. Nam alibi quidem evici, quam vigilans Carolus Neapolus imaginarios illos commilitones in Sicilia somniarit, quo tempore primum Siculi in Nortmannorum potestatem venerunt. Enimvero recepta illa apud Neapolitanos investiturae

ræ formula cum angariis, parangariis, piſtrinis, trapetis, & id genus aliis, ſub poſtremis Aragonenſibus Siciliam quoque pervaſit. Et ea igitur barones Sicilienſes abuſi præſertim per abſentiam Principum juribus prohibitoriis promiſcue exercendis feudorum incolas afflixerunt. Ita ad feliciſsimum Ferdinandum uſque in Sicilia adverſus oppidanos graviores præ Neapolitanis injuriæ, eaſque graphice de more ſuo deſcribit doctiſsimus Simonetta in plena opinione ſua ad Proregem Siciliæ ea de re miſſa.

XVI. Porro temporibus minus iniquis ad Siciliam quoque extendere doctores Caroli V. pragmaticam 14. *de baron.* licet Neapolitanis tantum regundis ea promulgata foret. Et ibi tamen pragmatica iſthæc eam interpretationem acceperat, ut prædictorum jurium poſſeſsio baronibus addiceretur, ſi ante illius promulgationem ea uſu ſe cepiſſe adpro-

barent. Proinde apud Siculos oppidani miſeris modis per barones deglubebantur: ita vero res iſthæc in apertos tumultus erupit occaſione eorum, qui præſcriptionis obtentu jura prohibitoria ſeverius exercebant. Quapropter fauſtiſsimus Ferdinandus libello ſupplici per oppidanos Ficarræ interpellatus, cum reſciviſſet, quot injuſtis oneribus attererentur feudorum incolæ, divalibus literis eorum jurium radices ipſas præciſum ivit ſexto id. Novembr. ann. 1788. Ea feliciſsima Siciliæ die vetuit Princeps optimus, ne jura prohibitoria ſibi baro titulo præſcriptionis aſciſceret; ab iis baronem abſtinere ſe juſsit, niſi ex primæva conceſsione titulum exhiberet, & cum jure prohibendi expreſsim conceſſa forent, ut de Neapolitanis ſupra docuimus. Ne qua vero in Principis abſentia oppidanis inferretur injuria, ſi qua id genus jura expreſſim conceſſa eſſent, feudorum in-

co-

colis facultatem indulsit, ut, soluto baroni pretio, ab iis pro arbitrio se redimere possent. Ita, quod ad jura prohibitoria, Neapolitanorum, ac Siculorum ferme æquata conditio, ac non minus oppidanorum commodis, quam baronum indemnitati consultum.



TITULUS ULTIMUS

De jurisdictione baronibus concedi solita ex jure seu Neapolitano, seu Siculo.

PRimum omnium satis constat, jurisdictionis vocabulo designari generatim omnia, quæ auctoritate publica in Civitate Magistratus expediunt, seu necessariam, seu voluntariam jurisdictionem explicent. Exploratum est quoque, eodem vocabulo contineri non so-

ſolum jurisdictionem in cauſis nummariis explicari ſolitam, ſed & gladii poteſtatem, ſeu merum imperium, quo in facinoroſos leges animadverti jubent. Ubi tamen accuratius loquuti ſunt veteres, jurisdictionem dixerunt, quæ in cauſis nummariis verſaretur; coercendorum criminum facultatem *merum imperium* appellarunt *l.* 3. *ff. de jurisdict.* Gladii facultas merum imperium dicta fuit, quia vehementior ea quidem erat, ut ea eſſe plerumque ſolent, quorum naturalis vigor nulla admixtione ſit imminutus. Hinc & facultas modice coercendi, quæ & ſimplici jurisdictioni neceſſario ineſt, mixtum imperium eſt appellata, quia lenius id quidem erat, & ultra modicam coercitionem haud excurreret. Conf. Noodt. *de jurisdict. & imper.* 1. 4.

II. Porro ipſa ratio Civitatis expoſcit, ut ſeu merum, ſeu mixtum impe-

perium in ipsa summa potestate, velut in fonte suo, residere dicatur, seu penes populum in Republica, seu penes Principem sub unius imperio sit summa potestas. Sicubi igitur in jure civili penes magistratus jurisdictio dicatur esse, id eo pertinet, quod vi magistratus, non alieno mandato eam expediant. Nam ex regulis Romani juris neque merum, neque mixtum imperium ad magistratus jure dominii pertinere potest. Enimvero, feudorum instituto recepto, quemadmodum in utili baronum dominio feuda cœperunt esse, jurisdictio quoque intra feudi territorium concedi solita ad eos veluti jure dominii pertinere cœpit: ita vero feudalis jurisdictio patrimonialis evasit. Cum tamen, ut jura Majestatis reliqua, sine concessione Principis a privatis jurisdictio possideri non possit, ipsi barones nudo possessionis titulo jurisdictionem sibi tueri

nequeunt, nisi eam in investitura expressim acceperint. Vide Thomas. *de praescript. subdit. advers. Princip.* Sed videamus, quibus initiis jurisdictio baronibus concedi coeperit.

III. Quod ad jurisdictionis feudalis initia, complures putarunt, ea nusquam olim intra feudi territorium barones usos, eaque longo ab instituto feudali tempore partim usurpatione, partim concessione Principum uti coepisse. Ea de re nescio quid singulare post Thomasium protulit Heineccius *in exercit. de orig. atq. indol. jurisdict. patrim.* Is enim existimat, jurisdictionem patrimonialem primum in homines proprios, & adscriptitios per Germanos exerceri coepisse; mox eorum exemplo barones inter feudorum incolas jurisdictionem feudalem sibi adrogasse. Quasi vero facilius fuerit hominum propriorum possessoribus, quam baronibus vi militari

pol-

pollentibus Principum jurisdictionem invadere. Ea in re igitur veri ego simillima putavi semper; quæ docet Montesquieus *esprit des loix livr.* 30. *chap.* 20. Ibi enim vir doctus evicisse videtur, jurisdictionem feudalem cum ipsis feudis Francorum opera apud Gallos enatam; eam quidem in vetustissimis feudorum investituris concessam non inveniri; id ipsum tamen inde factum, quia jurisdictio feudis ipsis necessaria veluti consequentia olim inesse credebatur. Sane ex monumentis ab eo productis constare videtur, feudorum concessionem duplex *servitium* complexam esse, quorum alterum militia, alterum jure in feudi territorio dicundo præstabatur. Eo accedit, quod in capitularibus Caroli Magni *fredum* a reis præstari solitum non ubique Principibus addicitur: nam intra feudorum territorium baronibus exsolvi jubetur. Id autem intelligi quidem

haud poteſt, niſi ponatur, per id temporis barones jurisdictionem exercuiſſe. Fredum autem erat veluti publicæ tutelæ pretium reis præſtari ſolitæ adverſus ultionem eorum, qui per facinus læſi forent. Vide Monteſquieum *loc. cit. c.* 18. & 22. Facile igitur mihi perſuaſerim, juriſdictionem feudalem ex veteribus Germanorum moribus ſub ipſa feudorum incunabula in Galliis fuiſſe inſtitutam. Nam Tacitus memoriæ prodit, Germanorum proceres per vicos, & pagos jus dicere ſolitos *de morib. German.* 12. Utcumque ſub feudorum apud Gallos initia ea de re receptum jus fuerit, barones in Galliis ab ipſo ſæculo decimo merum, ac mixtum imperium expediverunt, ut liquet ex ſtatutis Sancti Ludovici *cap.* 24. & *ſequ.* Quod autem magis mirum, eorum ſententiæ prorſus definitivæ erant, & adverſus eas nuſquam patebat appellationi locus, ut ab

ab exemplis liquet a Brussello productis *de feud. libr.* 3. *c.* 11. *&* *sequ.*

IV. Porro reliquorum Francorum exemplo Nortmanni quoque barones in suo quisque territorio omnimodam expediebant jurisdictionem, & ipso mero imperio utebantur. Enimvero cum Robertus, ejusque frater Rogerius probe nossent, sub unius imperio neque fortunas, neque capita civium e privatorum libidine pendere oportere, in provinciis bello partis alias rationes cœptarunt. Exemplum Wilelmi quidem, qui non ita pridem Anglos subegerat, eis persuadere poterat, ut *ima* saltem, quam appellant, jurisdictione sinerent barones uti. Id ipsum illis monstrare videbatur Caroli Magni institutum, qui & regnandi arte per ætatem suam reliquos Principes præcellebat, & jurisdictionem id genus beneficiariis non denegavit *capitul. ann.* 812. *cap.* 3. §. 4. Ii tamen

non

non ignorabant, ea in re facillime præstitutos transiliri limites; ita barones in Galliis merum, ac mixtum imperium usurpasse; id ipsum apud Anglos barones aggressos. Vide Robertson. *in Carol. V. not.* 23. Hæc perpendentes Nortmannici Principatus primi illi conditores in provinciis Neapolitanis, ac Siculis ne imam quidem jurisdictionem in caussis minuscularis exerceri solitam baronibus reliquerunt.

V. Quæ hactenus de præsenti argumento posuimus, mire confirmant, cum quæ de Rogerio Rege sunt memoriæ prodita, cum Gvilelmi I. & ipsius Friderici leges, qui in codice suo politicam Nortmannorum constitutionem restituendam curavit. Nimirum, quod ad Rogerium, ubi, deficiente Roberti virili stirpe, ei cesserunt omnia, in constitutione politica ordinanda vestigiis Romanorum hæsit. Apud Romanos scili-

cet

cet rerum dominos provinciarum conſtitutio ita ordinata fuit, ut in Civitate provinciæ principe præſes jus diceret; in ſingulis provinciarum oppidis per Duumviros juriſdictio expediretur; ab iis ad præſidem appellandi facultas eſſet. Eo igitur exemplo Rogerius in Civitatibus provinciarum principibus merum, ac mixtum imperium per præſides, ſeu juſtitiarios exerceri juſſit; in ſingulis provinciarum oppidis mixtum imperium explicari per bajulos; adverſus eorum ſententias juſtitiarios appellari; barones quaqua uti juriſdictione vetuit. Quibuſdam tantum baronibus de ſe fortaſſe benemerentiſſimis in cauſis tantum nummariis juriſdictionem conceſſit. Ita quidem in ejus Græco diplomate apud Ducang. *in voc. bancus*. Και διδομεν αυτῳ ἀδειαν του εχειν βαγκον, του κρατειν κριτας, και κρινειν. *Poteſtatem ipſi facimus habendi bancum, conſtituendi judi-*

dices, *&* *judicandi*. A patris inſtitutis Gvilelmus I. ea in re non receſſit, ut liquet ex conſtitutione *locorum bajuli*. *de cognit. cauſ. cor. bajul.* Eamdem politicam conſtitutionem in provincias Neapolitanas, ac Siculas per primos Nortmannos invectam rerum inibi potitus confirmavit Fridericus II. eorum in utroque Regno ſucceſſor cum alibi, cum in conſtitutione *cum ſatis*. *qua pœn. univerſ. teneant.* Sic enim ibi. *Officiales tantum a noſtra Majeſtate ſtatutos*, *vel de mandato noſtro*, *magiſtros juſtitiarios*, *camerarios*, *bajulos*, *&* *judices ubique per Regnum noſtrum volumus eſſe*, *&* *tam jura noſtra*, *quam noſtrorum fidelium volumus miniſtrare*. Stet illud igitur, ſub Nortmannis, ac Suevis ne ima quidem, nedum omnimoda juriſdictione barones uſos, niſi *bancus*, *&* *judex* ſingulari Principis privilegio eis in inveſtitura conceſſus eſſet. Sed videamus, qui-

quibus initiis Regni baronibus primum omnimoda in causis nummariis jurisdictio, deinde merum imperium, & ipsa gladii facultas concedi cœperit.

VI. Quod ad civilem jurisdictionem, cui ex regulis Romani juris mixtum imperium inesse jusserunt Neapolitani Principes, ea cum in Regno Neapolitano, cum Siculo citius sunt potiti barones. Ea quidem sub Nortmannis, ac Suevis in ipsis oppidis feudi titulo concessis penes bajulos erat a camerariis designari solitos *constit. magistri camerarii. de præstand. sacram. bajul.* Sub ipso tamen Rege Rogerio exempla non desunt, unde liquet, civilem jurisdictionem, ac mixtum imperium baronibus fuisse concessum. Id primo constat ex ipsius Rogerii Græco diplomate, quod ex Ducangio supra exhibuimus §.5. Id ipsum inculcat producta Gvilelmi I. constitutio *magistri camerarii*. In ea enim edici-

citur, id juris ad bajulos pertinere vel camerariorum jussu, *vel mixto imperio partium*. Nam ibi, ni fallor, *partium* vocabulo designantur barones ipsi, quorum electione prævia, intra feudi territorium bajuli jus dicebant. Si enim singulari privilegio jurisdictio baronibus concessa foret, bajulos per ipsos creari oportebat, ut & hodie fieri solet, qui mixtum imperium explicarent. Si alia deessent, id apprime evinceret Rogerii diploma supra productum, ubi, concesso *banco*, facultas, seu potius necessitas constituendi judices in barone ponitur.

VII. Licet autem sub Nortmannis, ac Suevis baronibus quibusdam de Principe præclare meritis omnimoda in causis nummariis jurisdictio concedi soleret, eam tamen expressim concedi oportebat. Hinc feudi publicationem adversus eos Fridericus indicit, qui justitiarii munia in concessa oppida usurparent *constit. ea quæ*

ad

ad speciale decus . quod null. prælat. com. bar. Hoc autem institutum non solum sub Nortmannis , ac Suevis , sed & sub primis Andegavensibus recepti juris in Regno fuit . Sub primis autem Andegavensibus adeo exploratum id videbatur, ut pluribus oppidis veluti feudi , seu potius muneris , & gestionis titulo , atque usufructuario jure a Carolo I. concessis ejus filio natu majori , & certo jam Cæsari , intra eorum territorium civilem jurisdictionem , & mixtum imperium expressim ei concedi oportuerit , ut liquet ex reliquiis *regest. concess. a serenifs. Reg. Car. I. fact. ann. 1269. fol.106. & sequ.* Adeo certum scilicet sub ipsis Andegavensibus putabatur , jurisdictionem feudis non hærere , ut ne in Regum quidem liberos , & in Regnum successuros sine expressa concessione transire crederetur . Licet autem sub postremis Andegavensibus civilis jurisdictio pas-

passim concessa reperiatur; & hodie tamen ea necesſario feudis non inest. A baronibus igitur expediri non potest, nisi speciatim in investitura concessa fuerit. Si secus quis faxit, usurpatæ jurisdictionis reus censeri debet.

VIII. Quod ad merum imperium, seu jurisdictionem in criminibus coercendis explicari solitam, numquam sub Nortmannis, ac Suevis ea facultate baronibus uti concessum. Id rei diplomaticæ periti viri passim advertunt. Proinde subleſtæ fidei diplomata ego putarim, in quibus per Nortmannorum, Suevorumve tempora facultas gladii cuiquam concessa legitur. Conf. Marchion. Varg. *in examin. chartar. Cartus. pag.* 595. *& sequ.* Id ipsum sub primis Andegavensibus religiose servatum, ejusque rei respectu cum ipso Carolo II. certo jam Cæsare parce, ac restricte actum. Quod enim supra monuimus, usufructuario jure

re tot oppidis ei a parente concessis, in reliqua quidem civili jurisdictione jussus est uti; merum tamen imperium vix intra Salerni mœnia ei demandatum. Id & Marinus Freccia narrat *de suffeud. lib.* 2. *auctor.* 2. *n.* 21. & liquet ex reliquiis ipsis *regest. concess. a Carol. I. factar. ann.* 1269. *fol.* 106. *& sequ.* Hinc intelliges, cur, sub eodem Carolo I. comite Brennæ, & Lycii obtendente, sibi merum imperium in investitura fuisse concessum, justitiario Apuliæ is rescripserit, *id incredibile* sibi videri, ea rescripto ratione addita, *quod in singulis concessionibus terrarum per nostram Excellentiam factis omnia criminalia nostræ sunt curiæ reservata regest.* 1275. *l. a. fol.*99. A majorum suorum vestigiis ea in re non recessit Joanna I. Neque enim genuinum ejus diploma usquam occurrit, in quo privato cuiquam gladii facultas

concessa legatur. Id tantum pro illis aliquando factum, qui aut cognatione, aut affinitate sibi devincti forent. Ita quidem Philippo Andegavensi leviro suo ob nuptias cum Ludovico illius germano initas in feuda ei concessa jus gladii datum, ut constat ex *regest. ann.* 1316. *l. c. fol.* 12.

IX. Porro sub ipsa Regina Joanna II. infirmioris ea quidem ingenii, ac jurium Majestatis incuriosa nusquam feudi titulo facultas gladii privatis concessa legitur. Si quando baronibus ei acceptissimis indultum merum imperium, id non feudi titulo in eos translatum; tantum intra feudi territorium *cum mero, & mixto imperio capitanei*, quamdiu adviverent, ii sunt constituti. Ea de re ita scribit Afflictus ad *constit. ea, quae ad speciale decus. n.* 3. *Ego vidi aliqua privilegia concessa aliquibus comitibus, & baro-*

ronibus, per quæ apparebat; quod Regina faciebat eos Regios capitaneos ad vitam cum mero, & mixto imperio in terris eorum. Hinc autem liquet, vel falsa de Roberto prodere Angelum Constantium scribentem *histor. libr.6.* eum plurimis baronibus merum imperium concessisse, aut non feudi quidem titulo, sed *capitaneatus ad vitam* pro more temporum id factum existimasse. Neque enim ad Alfonsum I. usque genuinum monumentum usquam occurrit, quo merum imperium *baroni, & heredibus* concessum feudi titulo evinci possit. Stet illud igitur, ad eumdem Alfonsum usque gladii facultatem cuiquam jure feudi non fuisse concessam; si quis singulari Principum beneficio eam exercuit, non feudi quidem titulo, sed *capitaneatus ad vitam*, seu magistratus jure illam exercuisse.

X. Jam vero vulgata fabula docto-

rum est, Alfonsum I. merum imperium generatim concessisse baronibus, ejusque monstroso privilegio facultatem gladii non tantum ad ætatis suæ barones, sed ad heredes etiam jure feudi pertinere cœpisse. Ea de re quidem Alfonsum bis per barones precibus aditum fuisse comperio ann. 1442. Comitiis per id temporis Neapoli habitis, de mero imperio is interpellatus postridie Kalendas Martii respondit, sibi non placere, ut omnes Regni barones mero imperio uterentur; eo uti se tantum pati, quibus expressim concessum jam foret *capit. Civit. Neap. pag. mih. 6.* Enimvero ea in re Alfonsus sibi non constitit. Paucis enim post mensibus, cum barones Ferdinandulum suum in Regno Neapolitano Cæsarem acceptassent, ea de re rursus precibus aditus, de oppidanorum corio eis gratificatus merum ipsis imperium generatim indulsit

ca-

*capit. Civit. Neap. pag. mih.*8. His ita se habentibus, ad incitas hic me redigit Regens Galeota *controvers. tom.* 1. *in decis. ad controvers.*53. Ibi enim is narrat, eumdem Alfonsum anno 1450. octo post annis scilicet, ex quo gladii potestatem baronibus concessisse vidimus, Francisco Caraphæ in tres suburbanos pagos merum, ac mixtum imperium indulsisse, quamdiu superstes foret, eo adhuc addito, ut ei jus esset, id ipsum in filiorum aliquem suo arbitrio eligendum extendere. Cui bono igitur id privilegium, si octo ante annis ab eodem Alfonso baronibus omnibus gladii potestas concessa jam fuerat? Hæret hic mihi aqua, neque alius in jure Neapolitano locus me magis excruciat.

XI. Ut igitur his me tricis expediam, ita rationes inierim, Alfonsum scilicet tempori inservientem, ut Ferdinandus Cæsar agnosceretur, dicis tantum causa

merum, ac mixtum imperium baronibus concesſiſſe; mox, ſolutis comitiis, perpenſo, vim Principatus eo privilegio ferme reſolvi, fidem non liberaſſe; retro Principum ſequutum exempla paucis tantum baronibus, qui viribus præcellerent, ac periculum faceſſere Ferdinando poſsent, ſub veteri titulo *capitaneatus ad vitam* merum imperium concesſiſse; id ipſum factitaſſe Ferdinandum ad demerendos illos, quorum ſtudiis ei potiſsimum opus, ut adverſus Callixtum III. ſe tueretur. Is enim adverſus Ferdinandum implacabilior, ac veluti ſuppoſititium Alfonſi filium eum traducens conſtitutione ſua ipſum Regno privaverat. Vide *hiſtor. Urb. libr.* 27. *ſub. init.* Enimvero his quidem initiis Ferdinandi liberi in dies infirmiores inconſultis concesſionibus, ac peſsimo publico merum imperium profanarunt. Paſſim enim in inveſtituris id elargiti ſunt

feu-

feudali nexu; ita & gladii potestas veluti patrimonialis evasit. Sub Ferdinando autem paucis, & ad vitam usque, sub ejus liberis facultas isthæc baronibus, & heredibus passim concessa fuit. Ita vero capita, ac fortunæ oppidanorum in discrimen adducta. Id autem perpendens Matthæus de Afflictis ad *constit. occupatis nobis. ut null. offic. n.* 4. hæc adlinit. *Quid dicam hodie, cum Reges Aragonum concesserint merum, ac mixtum imperium in terris baronum ipsis, & eorum heredibus in perpetuum in eorum castris, & terris? Ego volo ponere frenum in ore meo.* Sed & mox ultra processum. Ab initio enim concessæ baronibus primæ tantum, quas appellant, *instantiæ*; mox secundæ, ac tertiæ quoque, atque ipsa literarum arbitrariarum facultas: qua quidem de re & memet ori meo frenum præstat imponere. Vide *jus Regn. libr.* 1. §. 6. *& sequ.*

XII. Jam vero quod ſupra de civili juriſdictione monuimus, eam ſcilicet ſine expreſsa conceſsione Principis per barones expediri non poſse, id potiori jure de facultate gladii, ſeu mero imperio intelligi quidem oportet. Licet igitur, ut ſunt in Regno res hodie, feuda cum mero imperio concedi plerumque ſoleant, eo tamen nequeunt uti barones, niſi eis expreſsim conceſſum in inveſtitura fuerit. Nam, ut recte docet Afflictus ad *ad capit. de capitan. qu. cur. vend.* jus gladii inter potiſsima Majeſtatis jura referri debet; idem velut acceſsio feudi exiſtimari non poteſt. Id vel inde liquet, quod per plura ſæcula ſine ea facultate feuda concedi ſunt ſolita. Aliunde adeo exploratum in jure Neapolitano eſt, neque merum, neque mixtum imperium feudis hærere, eorumve acceſsionem eſse, ut ſexcenta produci poſsint exempla, unde liquet, feu-

di

di quidem titulo alteri prædia, alteri aut jurisdictionem civilem, aut coercendorum criminum facultatem fuisse concessam. Exempla quoque investiturarum non desunt, in quibus primo feudum in prædia, deinde longo post tempore aut in causis nummariis jurisdictio, aut gladii potestas concessa fuerit. Ea vero in specie si recens meri, mixtivi imperii concessio sit, successio in prædiale feudum primo concessum antiqui feudi jure regetur; meri, mixtive imperii successionem jure feudi novi regi oportebit. Vide Regent. Galeot. *tom.* 1. *controvers. in decis. ad controvers.* 53. *artic.* 3.

XIII. Cum igitur, inspecto jure Neapolitano publico, sine expressa concessione Principis merum imperium expediri nequeat, frustra sunt quidem doctores, qui ob investituræ clausulas, quas monstroso vocabulo *prægnantes* appellant, illud

illud baronibus afferunt. Proinde recte scribit Afflictus *ad constit. ea quae ad speciale decus. n.22.* ne eo sub obtentu quidem facultatem gladii barones usurpare posse, quod *cum plena, & omni jurisdictione* ipsis feudum sit fortasse concessum. Ea Afflicti sententia non solum accuratioribus doctoribus se commendavit, sed & ipsis Friderici verbis firmari videtur *in praedict. constit.* Ibi scilicet Fridericus ipsa feudi publicatione barones puniri jubet, qui sine expressa concessione merum imperium usurparent; vetat etiam, *per illicitas praesumptiones* sibi quempiam illud asserere. Illicitae autem illae praesumptiones clausulas illas *praegnantes* respiciunt, quibus innixus quispiam per verborum aucupia in defectu expressae concessionis facultatem gladii sibi adrogaret. His igitur regulis Sacrum Consilium haerens recte pronunciavit, per baronem alienatum merum impe-

perium non videri, ac penes venditorem id esse pergere, licet cum Regis assensu venditum feudum diceretur *cum jurisdictione*, & *pertinentiis suis nil reservando*, ut memoriæ prodit Afflictus *decis.* 22. Nunc, quod superest, videamus, quibus initiis Siculi quoque barones mero, mixtoque imperio potiti fuerint.

XIV. Quod ad barones Sicilienses, ipsis merum imperium citius, quam baronibus Neapolitanis concessum comperio. Id enim illis concedi cœpit ab ipso Martino I. qui, sæculo decimo quarto ferme inclinante, apud Siculos Regnum habuit. Vide *capit.* 10. & 47. *Reg. Martin.* In eo autem privilegio postulando singulare fuit, quod pro illo impetrando utilitatem oppidanorum obtendere barones, ne, si coram magna Curia, aliisve, quibus quæstio de criminibus demandata foret, causam suam

tue-

tueri cogerentur feudorum incolæ, expensis gravioribus attererentur, ut liquet ex Ferdinandi II. *capit.* 127. Verum ad populum phaleras, neque mihi quisquam persuaserit, gladii potestatem pro oppidanorum commodo inhiasse barones. Neque vero baronibus omnibus apud Siculos mero imperio uti licet, sed iis tantum, quibus id expressim concessum in investitura fuerit. Sæpius quidem in Sicilia sunt adnixi feudorum possessores, ut sine discrimine potestate gladii armarentur barones omnes: verum præter alios eam spem prorsus præcisum ivit Philippus II. Carolo V. prognatus *capit.* 94.

XV. At vero qui apud Siculos mero utuntur imperio, eo non eodem modo potiti sunt omnes. Alii enim, ut scribit Rex Martinus *capit.*47. *gratiose*, & *ad Principis beneplacitum* id obtinuerunt. Alii emptionis, aliove oneroso titulo sunt

il-

illud adepti. His ipsis vel simpliciter, vel *cum jure redimendi*, quod vocant, gladii potestas concessa fuit. Interest autem, qua cuique formula merum imperium concessum ponatur. Quibus *ad beneplacitum* concessum id fuerit, rigore quidem juris inspecto, videtur pro arbitrio Principis posse adimi. Verum cerebrosa sua æquitate pragmatici passim docent, eo barones temere privari non oportere, nisi justa causa proferatur. Vid. de Pont. *de potest. Proreg. in tit. de elect. offic. n.* 4. *& sequ.* & Montan. *de regal. pag.*136. Quibus simpliciter potestas isthæc concessa fuerit, ii jure ordinario neque ea privari possunt, neque oblato pretio cogi, ut illa se abdicent. Enimvero quibus *cum jure redimendi* merum imperium sit concessum, pretio quidem restituto seu per Principem, seu per oppidanos, statim ea potestate excidunt. Ceterum quoquo

mo-

modo merum imperium baronibus Siculis conceſſum dicatur, id eorum reſpectu patrimoniale non erit. Rex enim Martinus gladii facultatem non patrimonii feudalis intuitu, ſed jure perpetui magiſtratus per barones expediri juſsit: *conſtituendo eoſdem in cauſis criminalibus juſtitiarios, & officiales d. capit.* 47. At at inter rabiem canis in Sicilia diutius morari piget. Aliunde

... nos immenſum ſpatiis confecimus æquor,
Et jam tempus equûm fumantia ſolvere colla.

F I N I S.

